

## **In Epistolam ad Romanos<sup>1</sup>**

LUIS DEL ALCÁZAR, S.J.

[f.153v]

### *Circa Caput 2, Propter quod inexcusabilis es o homo omnis etc*

#### Lectio 10

1. Cajetanus<sup>2</sup> intelligit Paulum descendere ad magistratum et iudicium iniustitiam arguendam, et in eadem sententia viderentur esse graeci Chrysostomus<sup>3</sup>, Theophylactus<sup>4</sup> et Oecumenius<sup>5</sup>, nisi statim annotarent explicacionem extendi debere etiam ad privatos homines. Sed respiciendo ad contextum et ad ea quae postea Paulus ait, magis placet Ambrosii<sup>6</sup>, Augustini et Basilii et Bedae explicatio, qui non haec accipiunt contra iudices sed contra morum censores, id est contra eos qui cum alios doceant se ipsos non docent, contra magistros concionatores, et denique contra eos qui in eo sibi ipsis videntur iusti quod aliorum peccata reprehendant, et non vult Apostolus hanc peccatorum alienorum reprehensionem tanquam temerariam coercere (de quo Christus, Mt, aunque el discurso de Cristo, Mt 9, es acá también a propósito *vides festucam in oculo fratris etc.* Jerem 23[36] *onus erit unicuique sermo suus; Mt 5[16] sic luceat lux doctrinae ut videant opera vestra etc.*)

---

<sup>1</sup> Continuamos publicando el ms 760 de la Universidad de Salamanca

<sup>2</sup> THOMAS DE VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom c.2, v.1.* Lugduni 1639, p.9.

<sup>3</sup> J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom homil 5.* PG 60,423.

<sup>4</sup> THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom, 2.* PG 124,362.

<sup>5</sup> OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom, 2.* PG 118,351.

<sup>6</sup> AMBROSIUS, *Comment in ep ad Rom, 1,1.* PL 17,66.

Sed contendit ex eo in quo illi videntur sibimet blandiri et in fucatae iustitiae specie gloriari, ex eo ipso illorum iniustitiam convincere, nam in seipsos nescii sententiam mortis pronuntiant, sicut legimus de Davide.

2. Praeterea nota quosdam intelligere initio huius capituli converti sermonem ad iudaeos: quod vix quadrare posset si hactenus solum de graecorum vel gentium peccatis disseruisset, quia ineptum esset inde inferre iudaeos esse inexcusabiles; sed ex eo quod utrosque, tam iudaeos quam graecos (ut vidimus) ostendit multis esse criminibus obnoxios bene colligit inexcusabiles esse iudaeos qui caeteras omnes gentes despiciebant reputando et iudicando illos tanquam peccatores, quia si propter opera gentiles reputantur iniusti, cum iisdem flagitiis et sceleribus ostensum sit utrosque obnoxios esse, plane efficitur ipso suo iudicio condemnari iudaeos, et in huius argumentationis amplificatione videri potest consummi totum caput 2<sup>um</sup>. Verum (ut notat D. Thomas<sup>7</sup>) illa Pauli verba (*o homo omnis qui iudicas*) videntur postulare ut ad graecos etiam extendantur, nam videntur dicere o tu quisquis es qui alios iudicas sive iudaeus sis sive graecus. Atque ita crediderim cum D. Thoma, praesens caput dividi in duas partes quarum prima communiter agitur contra utrosque, in alia vero descenditur ad iudaeos et illi peculiariter suggillantur qui minus animadvertent vanissime se in lege et circumcissione confidere et caeteras nationes despiciere.

3. Sed quod attinet ad primam partem, nota dupliciter accipi posse: 11, ex D. Thoma<sup>8</sup>, quod Paulus arguere velit illam mutuam iudaeorum et gentium contentionem qua alteri se ipsos praeferebant de aliis male iudicabant, de qua supra in praefatione n.12 in epistolae argumento, ex Primasio<sup>9</sup> et multis. Verum ad hanc intentionem non videretur admodum ad rem Pauli argumentatio, in qua id potissimum assumit, nempe veram iustitiam non consistere in cognitione sed in operatione, quia saltem graeci non se praeferebant iudaeis propter cognitionem, quare aptius est aliter accipere, scilicet, cum ostendisset Paulus omnes esse sceleribus atque flagitiis coopertos et cum statuisset eos etiam qui purioris vitae putabantur esse, saltem consensu in mortis reatum incidisse, perstet Apostolus in eadem thesi et colligat peritiam legis vel philosophiae potius fuisse maiori condemnationi; quia non deserviebat ad bene operandum sed ad ferendum iudicium et condemnandam aliorum vitam, quod tandem cedit in propriam condemnationem; imo magis ostendit eos esse inexcusabiles. Et nota obiter pravum naturae corruptae ingenium quod vix novit sibimet applicare peccatorum reprehensionem sed et practice

<sup>7</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom*, c.2. Ed Vivès, t.20, p.409.

<sup>8</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom*, c.2. Ed Vivès, t.20, p.409.

<sup>9</sup> PRIMASIVS ADRUMETANUS EPISCOPUS, *In ep ad Rom*, Prologus, PL 68,415.

et theorice semper eam alienis applicat peccatis. (*Hoc fac et vives* [Lc 10,28].  
Aplica para ti lo que sabes. Prope est verbum in actus.)

4. Patet iam quam apte connectat utrumque caput illa dictio *propter quod*. Deide cum ait *inexcusabilis es*, notat Augustinus etiam esse inexcusabiles qui alios non iudicant, id est idiotas et ignorantes peccatores, sed evidenter magis inexcusabiles sunt qui non possunt ignorantiam praetendere.

*In quo enim iudicas alterum* graecismus est, quasi diceret eo ipso quod iudicas alterum, vel in quo, id est, per quod, id est per eam legem qua iudicas alios *te ipsum condemnas* propnomasia est, in graeco κρίνεις et κατακρίνεις, iudicas et condemnas, et reddit rationem *eadem enim agis quae iudicas* vel qui iudicas quod maiorem videtur habere energiam, quasi diceret tú que eres el juez, tú eres el malhechor. (*Os 5[1] audite sacerdotes quia vobis est iudicium*, con vosotros es el pleito, parece que se hizo el juicio para los que faciunt quod damnant.) [f.154]

*Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt*. Illa dictio *enim* non nihil habet scrupuli, nec enim vult probare eum qui iudicat eadem agere, quia Deus iuste iudicat. Adde quod in graeco et siriano et in Ambrosio<sup>10</sup> non est *enim* sed particula *porro* vel *autem*, imo quod graeci nihil habent sed absolute *scimus quod iudicium Dei est etc*. Imo Ambrosius et Hieronymus intelligunt hoc non esse probationem sed illationem, ita ut ex nostro iudicio inferat Deum omnia iudicare, atque ita melius habebat *scimus ergo* quam *scimus enim*. (Jer 29[23] *ego sum iudex et testis*). Respondeo 11, illud *enim* posse accipi pro *quidem* vel *certe*. Respondeo 21, ex D. Thoma<sup>11</sup>, quod iudicium Dei non affertur in probationem iniquarum actionum sed ad probandum quod se ipsum condemnat qui eadem agit quae iudicat. *Scimus enim quoniam*, id est *quod*, iudicium Dei manet omnes qui talia committunt, in quo sane iudicio ex suomet anteacto iudicio iudicabitur eiusmodi homo. Y así en el juzgar por malo el pecado del prójimo cierra el proceso contra sí, porque hay juicio de Dios en el que se le aplicará a él esa misma sentencia. Facit illud *qua mensura mensi fueritis remetietur vobis* [Mt 7,2]. Nota praeterea illud *secundum veritatem* optime perpendi a D. Thoma<sup>12</sup> et Cajetano<sup>13</sup>.

5. *An divitias etc*. Hoc vocabulo delectatur Paulus quoties ingentem vim et copiam rei cuiuspian intelligi vult; et *divitiae bonitatis* videntur opponi *thesauro irae*; notatur quod duplex thesaurus alter bonitatis et alter irae, quorum

<sup>10</sup> AMBROSIIUS, *Comment in ep ad Rom, 1,2*. PL 17,67.

<sup>11</sup> THOMAS A.Q., *In ep ad Rom, c.2*. Ed Vivès 1876, t.20, p.410.

<sup>12</sup> THOMAS A.Q., *In ep ad Rom, c.2*. Ed Vivès 1876, t.20, p.409.

<sup>13</sup> TOMAS DE VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom, c.2, v.2*. Lugduni 1639, p.9.

ille originem habet ab ipso Deo, iste vero a peccatoris malitia et stultitia quae contemnit primum thesaurum, et secundum sibi magno studio parat, haec ira en conserva. (En el corazón de Dios, al revés de la tierra maldita, no nace ira si no se siembra, pero beneficencia, sin sembrarla, se nace sua sponte.) Et totam hanc energiam habent ipsa Pauli verba, neque vacat fortasse mysterio quod primum non appellaverit thesaurum sed *divitias*, alterum vero non divitias sed *thesaurum*, quia divitiae connotant difussionis exuberantiam, thesaurus vero reconditionem et asservationem in aliud tempus, et utrumque belle quadrat. Porro bonitatis nomen non opponitur hic malitiae, ut patet ex graeco, sed significat vel morum suavitatem vel etiam spontaneam beneficentiam. Eam vero contemnere plerique existimant consistere in ipsius abusu, nimirum in eo quod peccator ex Dei bonitate et patientia assumit audaciam ad peccandum, ut habetur Eccle 5, hoc enim est velut Deum contemnere propter bonitatem ipsius et patientiam. Verum simplicius est ut peccator dicatur divitias bonitatis contemnere in eo quod non curat eius fructum percipere; atque ita sequitur ignorans quoniam per illam allicitur et incitatur ad poenitendum et recipiendum, ubi notant bene iuniores ex graecis et Hieronymo<sup>14</sup> et mss, non esse legendum *ignoras* sed *ignorans*, sed altero etiam modo posse legi probant auctoritas Ambrosii<sup>15</sup> et mss, neque video cur existimaverit Adam non posse legi *ignoras* cum interrogatione; nam aptissime urgebit quis et instabit hac ratione: illamne bonitatis contemnes? Nescis te ad poenitentiam invitari? Et hoc etiam modo significatur non satis animadvertere peccatorem invitari se a Dei bonitate et patientia et non advertere se aliter non posse illius bonitatis fructum proprium percipere; et propterea contemnere quia id non animadvertit: neque considerat quantum sua intersit.

6. *Secundum autem duritiam tuam*, id est iuxta duritiam tuam ; *et im-poenitens cor*, id est poenitere nescium vel impenitibile (a quien tantos bienes no basta a ablandarle) *thesaurizas tibi iram* retentum est verbum graecum quia est multo significantius quam latina. Vide hic Adamum contra Erasmum et illud *tibi* graece est tibi ipsi, quasi diceret tu tibi es causa tanti mali, nam bonitas Dei te alio provocabat. *In die irae* duriuscule videtur poni illud *die* in ablativo, unde quaedam ms cum siriaco expresserunt in diem irae; sed perinde est sive dicas atesoras para aquel día vel atesoras ahora ira y venganza en aquel día, quasi dicas para en aquel día de la ira de Dios. Eundem appellat diem revelationis: et graeci interponunt coniunctionem et tres notas distinguunt, aiunt enim appellari diem irae et diem revelationis et diem iusti iudicii, quod optime explicat Adamus et Erasmus<sup>16</sup>. Nostra lectio

<sup>14</sup> HIERONYMUS, *ad Rom* 2. PL 29 ,766.

<sup>15</sup> AMBROSIUS, *Comment in ep ad Rom*, 2,4. PL 1767.

<sup>16</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom*, c.2,5. Opera omnia, t.6, Lugduni 1705, 569.

videtur referre revelationem ad iustum iudicium quo significatur tunc aperiendum esse divinum iudicium quod interim latet. Porro graecis est unica dictio iusti iudicii δικαιοκρισίας affectata vocis novitate ut eo verbo divinum iudicium distingueretur a nostris.

7. *Qui reddet unicuique secundum opera eius*, id est sua, et nota obiter non stricte observari in Sacra Scriptura grammaticalia reciprocorum praecepta; atque ita aliquando ex originalibus melius intelligitur locus, ut ille Job 37 qui in manu omnium hominum signat ut noverint singuli opera sua, id est ipsius Dei ne nobis postea chiromantici illud obiiciant.

Quod sequitur potest varie legi et construi: 11, sic: *iis qui per patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt reddet vitam aeternam*. Ita Origenes<sup>17</sup>, Chrysostomus<sup>18</sup>, Theophylactus<sup>19</sup> et Erasmus. 21, sic: *iis qui secundum patientiam boni operis* (scilicet erunt) *reddet gloriam, honorem et incorruptionem quaerentibus vitam aeternam*, id est si tamen quaerant vitam aeternam, ita Rufinus, Ambrosius<sup>20</sup> et Gregorius, Job 38, c.6, Oecumenius<sup>21</sup> et Faber, in quo sensu commodior et simplicior translatio erat. Aliis quidem secundum patientiam boni operis, reddet [f.154v] gloriam et honorem quaerentibus vitam aeternam. Et tandem non est magnum discrimen in sensu, et utramque constructionem patietur nostra lectio si legas quaerentibus ut habent ms. neutra distinctione annotata, sed ita ut posit illud *quaerentibus* pertinere sive ad praecedentia sive ad subsequenta, de quo bene Adam contra Erasmum. Porro patientia boni operis perseverantiam significat in bene agendo, nam βρομοινή et patientiam et perseverantiam significat; et potest etiam ille genitivus *boni operis* pertinere ad gloriam et honorem iuxta G. 9.

8. *Iis autem qui sunt ex contentione*, id est contentiosus, quo nomine multi intelligunt sigillatim iudaeos qui pertinaciter Moysen defendebant. Sed simplicius est aliquid generalius intelligere, quia adhuc non descendit ad iudaeos, sed doctrinam tradit universalem. Vel ergo sugillatur illa mutua contentio iudaeorum et gentium quae huic epistolae dedit occasio, vel significatur illa disputationum contentio quae adhibetur ad veritatis indagacionem, non quod eam damnet Apostolus, sed quasi diceret iram et indignationem Dei manere eos omnes qui non obediunt veritati quamvis sint magni disputatores et inquisitores veritatis, a los que no se rinden a la verdad aunque sean grandes

<sup>17</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.2*. PG 14,880.

<sup>18</sup> J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom, homil 5*. PG 60,425.

<sup>19</sup> THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom, 2,7*. PG 124,366.

<sup>20</sup> AMBROSIIUS, *Comment in ep ad Rom, 2,7*. PL 17,68.

<sup>21</sup> OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom 2,6*. PG 118,351.

hombres de disputarla y averiguarla. Et facit quod graece eo modo dicitur ex contentione quo stoici dicuntur ex stoa et iudaei ex circumcissione. Et praeterea nota in graeco esse jocundam allusionem inter illa verba non acquiescere et credere, et illud credere est rendirse y obedecer, ut saepe alibi. Nota etiam fortasse artificiosse dictum fuisse ira et indignatio in nominativo, aunque parece mala gramática, y se ha de suplir reddetur, sed ostendit quod praebere vitam aeternam est proprium opus Dei, indignari autem atque punire quodammodo alienum, iuxta illud ut faciat opus suum alienum opus eius ab eo. Vides etiam locum contra nostri saeculi haereticos de praemio bonorum operum, illorum autem explicationes optime irridet hic Adamus et alii. Praeterea tribulatio et angustia quae non consumunt et tamen cruciant. Et quod praemium sit debitum patet quia alioqui non haberet locum quod dicitur de acceptione personarum quam latine respectu personae dixeris cum huic magis favemus quam illi non ob ipsius rei sed ob personarum discrimen; et cum persona tum suppositum tum etiam faciem significet vel exteriorem apparentiam, potius videtur accipi in 20 significatione iuxta illud *non secundum faciem iudicabit* [Is 11,3]. Et forsam sumitur metaphora de las máscaras de la comedia.

9. Explicat in Dei iudicio non respici personam sed merita, quia omnes peccatores et iniusti in eo iudicio condemnantur sive Moysis legem acceperint sive non, et omnes etiam qui legis praecepta operantur (quam omnes habent in cordibus impressam) illi omnes declarabuntur iusti, sive acceperint sive non acceperint legem scriptam. Haec est Pauli mens. Minutiora quaedam observant aliqui; graeca scholia significant mitius agendum cum eo qui sine lege scripta peccavit, quia sine lege iudicabitur, id est non ex eius legis rigore. Alii *sine lege*, id est non iudicabitur de eius legis transgressionem, sicut ille qui subditus erat legi et peccavit per eam legem condemnatur, id est propter eius transgressionem. Sed simplicius videtur esse ut gentilis peccator dicatur sine lege scripta condemnandus sicut sine illa peccavit (que pues que pudo pecar sin esa ley, también podrá sin ella ser condenado).

***Per legem condemnabitur.*** Vide supra v.27. Et iudaeus, ex ipsius legis praescripto iudicandus quoniam quidem illa accepta peccavit. Et nota quod descendens iam Paulus ad iudaeos peculiariter sugillandos circumcissionem, legem et eius peritiam atque iactantiam notat esse veluti faciem et personam, legis autem observantiam vel transgressionem facit tanquam merita vel demerita in Dei iudicio. (Vide maitines primer martes de Pascua. Dic de hypocrisi.) Vide hic Erasmus<sup>22</sup> qui optime perpendit quan sit iste locus repetitione et oppositione picturatus et numeris modulatus.

<sup>22</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom, c.2,12*. Opera omnia, Lugduni 1705, t.6.571.

10. *Factores legis iustificabuntur*, id est non audientes sed obedientes. Iustificari autem dupliciter accipitur : 11, pro eo quod est ex iniusto fieri iustum, et haec acceptio non habet locum in praesenti, ut bene Adamus ex Augustino, imo ex ipso Paulo qui acriter contendit neminem ea ratione ex meritis operum iustificari. 21, iustificari est iustum pronuntiare ex operum meritis, ut Lc 10, *volens iustificare se ipsum* et Mt 11, *iustificata est sapientia a filiis suis*; et evidens est hanc iustitiam et meritum tribui operibus a Paulo, quod tamen intelligi debet post primam iustitiam atque adeo post fidem in Christum, ut notat Ambrosius<sup>23</sup>. Sed non oportebat hoc explicare, quia primum erat probandum, et quia ex se est certum, cum promittitur gloria et vita aeterna omni operanti bonum, sive iudaeo sive graeco, illud intelligi debere operanti bonum cum debitis circumstantiis quarum praecipua est ut ille qui operatur non sit inimicus Deo.

## Lectio 20

*Cum enim gentes quae legem non habent etc*

1. Certum est Apostolum hoc demum asserere in praesenti, nimirum gentibus lege scripta carentibus conscientiam esse vice legis, quae legis instar indicat quid faciendum fugiendumve sit; sed non est ita facile diiudicare quorsum hoc asseratur maxime cum illa dictio *enim* ostendat reddi rationem eius cuius supra dictum est; et non videtur esse apta ratio ad probandum factores legis iustificari [f.155] si asseras legem esse gentibus impraessam. Respondet Cajetanus<sup>24</sup> sublimius esse Pauli artificium, quia vult ostendere iustitias legis Moysis non esse nisi iustitias operum ex hoc ipso quod possunt fieri a gentibus quae nec legem nec circumcisionem habent, scilicet per legis naturalis cognitionem, et existimat sermonem esse de gentibus iniustis, quae quidem observant legem naturalem quantum ad aliqua quoad substantiam, non vero meritorie neque quantum ad omnia. Sed haec solutio non satisfacit; quia quando Paulus dixit factores legis iustificari et unicuique Deum reddere iuxta opera sua manifeste loquitur de iustitia operum quae sit meritoria et grata Deo, ut patet ex sanctorum explicatione et ex ipso textu, atque ita non intendit in praesenti iustitias legis Mosaicae non esse nisi iustitias operum quales inveniuntur in hominibus iniustis. Vide hic Catarinum contra Calvinum, quem Cajetanus hic videtur sequutus.

2. CTheophylactus<sup>25</sup> Pauli verba refert ad ostendendum omni tempore etiam ante quam lex fuisset lata semper naturam humanam fuisse omni pro-

<sup>23</sup> AMBROSIUS, *Comment in ep ad Rom*, 2,13. PL 17,70.

<sup>24</sup> THOMAS DE VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom*, c.2, v.14. Lugduni 1639, p.11.

<sup>25</sup> THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom*, 2,14. PG 124,370.

videntia fretam, quasi diceret factores legis semper fuisse iustificatos nec enim ulli deerat innata quaedam lex per quam posset iustificari. Sed neque hoc satisfacit. 11, quia ut patet lectione 1, n1 10, non est sermo de ea iustificatione qua quis fit iustus ex iniusto, et 21, quia legis naturalis impraessio non est suficiens providentia ad eam iustitiam comparandam

3. [Adamus et alii sequuntur Augustini explicationem, De Spiritu et littera, c.26<sup>26</sup>, qui Pauli rationem huiusmodi ratione connecti putat, nimirum omnes qui perfecte legem observant, sive iudaei sint sive non, iustos esse apud Deum, atque adeo non esse necessariam legem illam scriptam, quia quamvis gentiles eam in tabulis non acceperint habent tamen illam in cordibus scriptam, atque adeo supposita prima iustitia ut diximus lectione 1, n. 10, naturaliter, id est natura duce sine legis pedagogia, natura iam per Gratiam sanata faciunt ea quae legis sunt. Haec expositio maxime quadrat cum Pauli contextu et intentione qui inanem illum iudaeorum plausum sugillare vult qui in suis tabulis et caeremoniis velut in sonitu et blandimento viridantium foliorum gloriabantur et sibi solis arrogabant iustitiam; et valet ratio Pauli tum ad ostendendum iudaeorum vanam confidentiam tum ad probandum gentilibus esse patere iustitiam evangelii sine legis onere, non quod antea essent legis naturalis observatores sed quod admissi semel in Dei gratiam per legis naturalis observationem iustificantur apud Deum. Quod potest etiam extendi ad quosdam gentiles qui peacesserunt tempore Evangelium.

4. [Quod si adhuc velis ut de gentilibus sermo sit iniustis et infidelibus dum naturaliter faciunt aliqua ex iis quae ad legem spectant solius naturae doctrina instructi, poterit huiusmodi esse nexus ut Apostolus velit probare neminem per legem iustificari nisi legis factorem, id est qui perfecte legem custodiat, hoc est non satis esse legem habere nam ipsi ethnici peccatores convincuntur habere legem si non latam et scriptam, certe natam et inditam, quos tamen nemo iudaeorum propterea dixerit esse iustos : quod vero habeant illam legem patet, quia dum natura duce faciunt aliqua bona ostendunt se interiori quadam lege instructos esse atque ita si iustificatio tribuenda esset legi non essent minus iusti censendi gentiles propter legem naturae quam iudaei propter scriptam, sed multo magis quia habent illam iustitiae formam intimiorem, nimirum in ipsis cordis penetralibus. Et sic videtur intelligendus Theophylactus.

5. [Aliter alii accipiunt, scilicet Paulum his verbis gentibus excusationem ab ignorantia praecidere, sicut statim urget iudaeos a lege scripta in qua gloriabantur. Sed non video quomodo possit in eo sensu filum orationis deduci, quare vel 30 vel 40 expositio sequenda est, et in 40 quidem sermo est de

<sup>26</sup> AUGUSTINUS, *De spiritu et littera*, c.26. PL 44,226.



gentilibus impiis et peccatoribus, in quibus tamen quo ad aliquas operationes ostenditur legis naturalis vis, necnon etiam in peccatorum conscientia et in illa interiori lucta et disputatione rationum quibus se ipsos accusant et excusare conantur. In 30 vero expositione sermo est de iis qui ex gentibus ad Deum conversi impressam suae menti legem factis exprimunt et perfecte observant, quia proinde non indigent alia lege scripta, quia *ipsi sibi sunt lex*, id est satis habent pro lege attendere ad suae rationis dictamen et ad conscientiae testimonium et ad illam interiorem luctam rationum ut resistant iis quibus accusandi sunt et sequantur eas quibus defendentur et excusabuntur in die iudicii.

[f.155v ]

6. Adhuc videtur duriuscula *ipsi sibi sunt lex*, sed emollitur si notes legem aliquando appellari el papel en que está escrita, como unas..., un pliego de papel en que están escritas, et sic ipsa anima vel ipse homo est carta in qua legis naturalis praecepta scripta sunt, atque adeo ipse sibi est lex. Praeterea loquendo de iusto, in 30 expositione possunt eadem verba maiori cum energia declarari ut non ad legis naturalis impressionem sed ad expressionem referantur, nam iustis ut aiunt philosophi est lex viva et expressa, et quod dicitur *ipsi sibi sunt lex* potest intelligi quasi diceret iustos sibi ipsis esse legem, quasi diceret inter se regulam et normam vivendi, nimirum alterum alteri, (porque la buena vida de mi prójimo es regla de la mía. Legem scriptam in cordibus ad expressionem et executionem refert. Hierem c. 31. Et facit quod hic non ait legem scriptam sed opus legis scriptum. Vel forsam a que la ley escrita en piedras, escrita está pero no sentida, si escribis en el corazón, como es carne sentirá. Y la importancia está en el sentimiento.) Vel ut melius cohaereat quod sequitur explica que cuando uno vive bien et facit ea quae legis sunt, tunc est sibi lex, id est tunc illius dictamen est rectum, tunc eius cupiditates honestae. Vide Aristotelem, 10 Ethicorum c.5, ubi ait non eadem febricitanti et sano videntur; in omnibus ergo eligendum est id quod probo viro apparet, nam bonus vir quatenus est talis est uniuscuiusque mensura, voluptates quoque erunt quae huic videntur et iucunda quibus ille oblectatur. Neque mirum quod alicui videantur iocunda quae huic sunt molesta quia multae corruptelae hominum et labes; neque illa sunt vere iocunda nisi ita affectis.

7. *Cogitationibus*, etc. In ablativo legendum esse docent ms, Ambrosius<sup>27</sup> et Origenes<sup>28</sup> hic, et Hieronymus, Ezechiel 16, Augustinus<sup>29</sup>, 20 De

<sup>27</sup> AMBROSIIUS, *Comment in epist ad Rom*, 2,16. PL 17,71.

<sup>28</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom*, l.2. PG 14,892.

<sup>29</sup> AUGUSTINUS, *De Civitate*, l.20, c.26. PL 41,702.

Civitate c.26; nisi velis more graecorum tolerari posse genitivum absolutum pro ablativo, vel regi hunc genitivum ab illo nomine conscientia, quae ambo sunt duriuscula.

Sed minus facile videtur connecti posse quod sequitur *In die cum iudicabit Deus occulta hominum*, 11, quia quamvis in extremo iudicio verum sit quod nostrae cogitationes aliae assument partes accusatoris et aliae rei, ita ut non futurum sit opus aliis testibus; tamen Paulus non videtur agere de cogitationibus accusatoris et defensoris, sed de accusatoribus et defensoribus in praesenti; quod si dicas poni praesens pro futuro, adhuc non videtur cohaerere, quia Paulus intendit probare, ut patet ex ipso textu, quod illi ostendunt opus legis scriptum in cordibus et quidem in praesenti cogitationum lucta id satis apparet, sed in extremo iudicio non potest apparere quousque reveletur. (Ita Henricus Stephanus in suo Testamento Novo, Parisiis 1576.) Propter hanc difficultatem quidam haec verba construunt cum eo quod supra dixit Paulus *per legem iudicabuntur*, et per parentesim legunt omnia quae interiarent, quasi diceret Paulus omne qui vel in lege vel sine lege peccaverunt iudicandos esse in die quo iudicabit Deus occulta hominum, quia non auditores sed factores iustificantur, cum constet gentes etiam habere legem in cordibus scriptam ut patet ex ipsorum factis et factorum conscientia et conscientiae lucta inter cogitationes accusantes et defendentes.

8. Verum quia haec nova et longa parentesis videtur solum inventa ad fugiendam difficultatem et ut verius dicam quia optata magis quam inventa est, neque licet communem mutare distinctionem, ideo aliter Respondeo 11: totum illud *testimonium reddente conscientia et cogitationum disceptatione* referri posse ad diem iudicii non in legis naturalis probationem sed ad asserendam consonantiam et correspondentiam legis naturalis cum illius diei conscientia atque iudicio. Et nota illud quod nos legimus *testimonium reddente*, in graeco sonat proprie *contestante*. Est ergo sensus habent legem scriptam in cordibus, cui legi contestatur seu correspondet conscientia et cogitationes quibus in die iudicii peragetur eorum causa, neque opus est ut illud *contestari* accipiatur in rigore comprobationis, sed satis est ut dicat conformitatem et consensum, quasi diceret que con la ley natural dice y conforma la conciencia con que cada uno ha de ser juzgado, dando la conciencia testimonio de lo que hizo. Et posset in nostra lectione illud *testimonium reddente* intelligi per futurum, quasi diceret cuius legis testimonium reddet conscientia et cogitationes, etc.

9. Respondeo 21: si omnino velis ut *conscientia et cogitationes* pertineant ad hanc vitam et ad legis naturalis comprobationem, construe sic: quod

legem naturalem comprobatur etiam uniuscuiusque conscientia et occulta rationis dictamina quae omnes experiuntur, et vel quae modo accusant nos vel excusant in diem, para el día in quo etc, quae postea nos vel accusabunt vel excusabunt in die iudicii, porque entonces se le pedirá cuenta a cada uno si vivió conforme a lo que entendió que debía hacer. Quod si cum Augustino per legem scriptam in cordibus intelligas bonum legis naturalis usum, et sermonem esse de iustis, tunc fateor supra dictas explicationes non satis cohaerere.

Atque ita Respondeo 31: quod iusti dicuntur habere legem in cordibus scriptam et suae vitae testimonium petere ex propria conscientia et interiori cogitationum examine tanquam reddituri rationem in die iudicii; vel examinando semetipsos eo modo quo in die iudicii examinabuntur. Pro quo nota illud *contestante* [f.156] sive *testimonium reddente conscientia*, pertinere ad laudem iustorum, quia non redditur eo modo testimonium nisi petenti, atque ita sensus est: que toman por testigo a su conciencia y se aprovechan de su testimonio para juzgarse de la manera que Dios los ha de juzgar. (*Gloria nostra saepe est testimonium conscientiae nostrae* [2Cor 1,12].) Deinde nota, cum dicitur *in die, cum iudicabit etc*, illud *in* iuxta phrasim Sacrae Scripturae aliquando poni pro *tanquam*, ut Is 48 *examinavi te sed non in argento*. Ps 67[15] : *nive dealbabuntur in Selmon*. (Sic forte illud Deut 32 [21] *ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, ego illos in eo qui non est populus etc*. Unde etiam Sacra Scriptura utitur ea particula quando proponit aliquid vel imitandum et considerandum velut exemplar, vel denique tanquam id ad quod nostrae actiones accommodentur et referantur. Sic enim saepe dicitur *in Domino vel in Christo Iesu Domino nostro*.

Ex dictis facile patet nexus et sensus supra dictus, et quamvis non esset sermo solum de iustis sed in universum de omnibus gentibus, poterat similiter explicari in conscientiae testimonio et cogitationum disceptatione esse quandam meditationem et imitationem illius ultimi iudicii. Et utrovis modo facile est perpendere cur potius dixerit *cogitationibus accusantibus aut etiam excusantibus*, quam e converso, nimirum excusantibus aut etiam accusantibus. Sed loquendo de iustis optime quadrat ut illi dicantur se ipsos diiudicare atque adeo apud Deum iustificari, sicut illi qui alios iudicant dicti sunt se ipsos condemnare, et sicut isti facies et personas alienas considerant, ita isti sua occulta et interiora.

10. *Secundum Evangelium meum per Iesum Christum*. Cum fecisset mentionem eius diei in quo iudicabit Deus occulta hominum, subdit *secundum Evangelium meum*, quasi diceret, como suelo yo decir y predicar vel

como muchas veces predico. Alii secundum Evangelium Lucae: non videtur ad rem. Nam ut patet ex Actis Apostolorum et eius epistolis nusquam non inculcat Apostolus extremi iudicii diem; et subdit quod iudicabit Deus homines per Iesum Christum cui Pater dedit omne iudicium.

Reliqua usque ad finem capituli sunt satis dilucida explicata iam mente Pauli, et nihil occurrit annotandum nisi ea quae ab Erasmo et Adamo sunt observata.

### *Constructio Capituli 2*

1. Cum ergo explicatum sit omnes homines et praesertim iudaeos et philosophos peccatis esse coopertos, plane colligitur per legis peritiam vel philosophiae te (o homo quisquis es illa instructus) prorsus inexcusabilem reddi, dum ea tibi non deservit ad bene vivendum sed ad ferendum iudicium et condemnandam aliorum vitam, quod tandem iudicium in tuam cedit condemnationem, scimus enim iudicium Dei manere omnes qui talia committunt et tunc ex tuomet anteacto iudicio iudicaberis tu qui censor morum existens adeo es oblitus reddendae rationis ut contempnas divinae beneficentiae divitias et tibi thesaurizes eius indignationem in die iudicii effundendam quando singulis reddetur non iuxta cognitionem sed iuxta operationem, atque adeo perseverantibus in bene agendo reddetur praemium aeternum, veritatis autem inquisitoribus qui de illa recte disputant atque pronunciant et tamen illi non obediunt sed potius iniquitati, reddetur aeternum supplicium atque adeo vae male operanti, iudaeo praesertim et graeco, et felices ii omnes qui bene vivunt, inter quos etiam iudaeos et graecos maxime commemorabo si bene vixerint, nam ut ad iudaeos peculiariter descedam quominus animadvertunt se vanissime in lege et circumcissione confidere despiciendo caeteras nationes; hoc est quod saepe in Sacra Scriptura docemur Deum non respicere faciem sed merita; igitur circumcisio et legis peritia atque iactantia sunt velut facies et persona, (la máscara,) legis autem observantia vel transgressio sunt merita vel demerita in Dei iudicio, atque ita omnes scelerati sive accepta sive non accepta lege scripta peccaverunt, omnes condemnabuntur, non enim audientes sed obedientes iusti censentur apud Deum, atque ita gentes etiam incircumcisae legem implendo pronuntiabuntur iustae.

2. Quia cum natura duce sine legis pedagogia (vel natura iam per gratiam sancta) legem observant, quamvis non habeant legem in tabulis scriptam habent tamen eam in cordibus non solum impraesam sed etiam expressam, et quamvis non gloriantur in facie et persona legis scriptae, gloriantur in testimonio bonae conscientiae, et quamvis non exercentur in ceremoniis legis scriptae quibus pronunciantur inmundi vel mundi, in suarum tamen se

exercent cogitationum examine perpendentes quibus accusentur et quibus excusentur et diem iudicii praevenientes et ad eum se praeparantes diem quem saepe praedicare soleo in quo occultissima etiam iudicabit Deus per Christum iudicem cui Pater dedit omne iudicium. [f.156v]

Interior ergo legis scriptio seu potius expraesio iustitiae nomen meretur, sed sola exterior facies atque persona nullius est momenti: nimirum cum tu idem qui iudaei appellatione et legis professione niteris, et iactas te unum Deum colere, et eius voluntatem nosse, et approbare meliora, et caeteris posse praelucere tanquam eruditorem insipientum, doctorem ignorantium et omnium denique informatorem in scientia et veritate legis, cum tu inquam ipse qui alios doces te ipsum non doces sed potius talem te praebes ut propter te blasphemetur a gentibus Deus, sicut ab Esaia et Ezechiele scriptum est. Circumcisio quidem prodest interim dum non antiquatur, si legem observes, si autem praevaricator legis sis, circumcisionis insigne non magis te apud Deum commendat quam dedecus gentilitatis. Unde etiam gentilis humilis et abiectus, quem tu praeputii nomine obiecto contemnis, si legis sanctitatem custodiat, gentilitatis dedecus in circumcisionis honorem reputabitur. (Vide Cajetanum<sup>30</sup> aliter.) Et ille qui erat humilis genere (o por el linaje o por el exterior de la justicia) consummans et perficiens legem condemnabit in die iudicii te qui legis lectura instructus et circumcisioni honore insignitus nihilominus praevaricatorem legis es. Nam iudaeus ille et filius Abrahae quem Sacra Scriptura commendat, et circumcisio quam adeo magnificat, non est iudaeus secundum carnem neque carnis circumcisio, sed interior iudaeus et circumcisio cordis, non secundum corticem literae sed secundum sensum spiritualem, non saxo insculptis literis sed spiritu ac mente legis fretus. Etenim cui caro est circumcisa, apud homines quidem ut iudaeus gloriari potest; caeterum, quem animus a vitiis purgatus et perpetua Dei glorificatio vere iudaeus reddidit, hunc certe Deus agnoscit et probat.

### Caput 3, Lectio 10

1. In hoc capite Apostolus ex occasione cuiusdam quaestionis quae videbatur ex dictis insurgere, docet quam praerogativam et excellentiam attulerit iudaeis circumcisio et lex, id est in quo praecebat iudaeus ethnicum. Et nihilominus iterum valide confirmat iudaeos esse peccatores, docens officium legis esse praebere cognitionem peccati et veram demum iustitiam comparari confugiendo ad Christum. Primum ergo obiicit sibi *quid ergo amplius est iudaeo*, ergo quid plus iudaei, quasi diceret quae prerogativa iudaici populi? quod repetitione statim explicat dicendo *aut quae utilitas circumcisionis*,

<sup>30</sup> THOMAS DE VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom*, c.2. Lugduni 1639. P.14.

quasi diceret si vera demum circumcisio spiritu constat non litera et citra carnis circumcisionem legis observatio valet ad salutem, ergo nulla est iudaei populi praeerogativa. Respondet Apostolus *multum per omnem modum*. Graeci codices variant et quidem in genere foeminini *multa* sive *magna*, scilicet utilitas. Sed quod attinet ad sensum, utrovis modo legas referri debet ad utrumque, scilicet ad *utilitatem* et ad illud *amplius* iudaei, y quiere decir que era grande la ventaja que hacia el pueblo judaico al gentil. (S. Thomas<sup>31</sup> non vult ut referatur nisi ad illud *amplius* et c.4 ait responderi ad circumcisionis utilitatem).

2. Quod ait *multum per omnem modum*. Expendit bene D Thomas<sup>32</sup> et alii ut pertineat (quod aiunt) ad intensionem et extensionem, quasi diceret iudaeos valde superare, et id multipliciter quia notus in Iudaea Deus et *non fecit taliter omni nationi*, et eorum est *adoptio et gloria et testamentum*, et illi sunt eruditi a Domino secundum illud *beatus homo quem Tu erudieris, Domine*, etc et haec sunt multa et magna privilegia. Sed simplicius videtur ut illa phrasis *per omnem modum* sit maior quedam affirmatio quasi diceret omnino magna utilitas, multum prorsus interest. Alioqui, si comprahenderet varios modos et multipliciter, universalitas illa efficeret ut nulla ratione esset verum quod supra ait non iudaeos absolute praecedere.

3. Sed adhuc dubitatur quomodo cohaereant inter se haec duo: iudaeo prorsus concedendum esse aliquid amplius et iudaeo non praecellere, nam hoc videtur esse idem quod praecellere et non praecellere. Glossa haec conciliat per relationem ad diversa tempora, ut ante Evangelium praecedere dicantur iudaei caeteras nationes, postea vero non praecellere. Sed ex contextu probat optime D. Thomas, eam explicationem esse alienam a mente Pauli porque de antes es cuando dice que non praecellebant absolute iudaei, atque ita communis sententia (Chrysostomi, Theophilacti<sup>33</sup>, etc.) est utrumque debere intelligi cum praecisione a gratia Christi et Evangelio, *nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium sed nova creatura*; vera igitur conciliatio est quod iudaei amplioribus erant beneficiis a Deo cumulati, sed considerati sine Christo non praeferuntur ethnicis in Dei iudicio et aestimatione, quia Deus non respicit personam sed veram [f.157] iustitiam quam nullus nisi per Christum consequutus est. Et nota quod superare in iustitia et sanctitate id vocat Paulus absolute praecellere, superare vero in aliis Dei beneficiis et praerogativis, non id appellat praecellere sed aliquid amplius accepisse. Et fortasse quando dicit esse circumcisionis utilitatem

<sup>31</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom*, c.3. Ed Vivès 1876, p.423.

<sup>32</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom*, c.3. Ed Vivès 1876, p.423.

<sup>33</sup> THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom*, 3,3. PG 124,378.

non tam intelligit fructum illius quam aliquid utile ad veram excellentiam : in quo sensu circumcisio, id est iudaicus populus multis utilitatibus cumulata est, sed bonis utilibus instructum esse non id est veram consequi honestatem.

4. *Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.* Illam particulam *primum* Origenes<sup>34</sup> non refert ad ordinem privilegiorum sed ad verbum *credita*, quasi dicat iudaeis esse credita eloquia Dei prius quam gentibus. Sed haec expositio merito reiicitur, quia non ait quod primum credita sunt sed primum quod credita sunt. Sed dices: si hoc est primum, ubi est secundum? Grandis existimat nullam aliam praerrogativam connumerari, atque ita dici primum id est praecipue omittendo alia minus praecipua. Simplicior tamen est communis explicatio, ut *primum* dicat ordinem sermonis quia si non in eodem capite, certe in reliqua capita multa alia beneficia commemorat illis peculiariter concessa. Deinde quod ait credita illis eloquia non est idem quod credita fuisse ab illis, vel illos credidisse, ut videtur intelligere Origenes, sed credita illis, id est commissa, ut omnes accipiunt, et patet ex phrasi graeca in qua dicitur creditus bonam rem sicut nos dicimus doctus sum grammaticam.

5. *Eloquia.* In hoc verbo philosophatur Origenes ut plus sit credere eloquia Dei quam credere litteram, et omnibus quidem iudaeis littera sit credita, eloquia vero solum iustis; sed iam vidimus omnino agi de iudaeis praecisa gratia Christi: atque adeo illud discrimen non est ad rem. Nota tamen *eloquia* graece dici λογια, quod proprie sonat oracula, et quidam existimant significari quod is populus servabat prophetarum oracula aliis magis profutura quam ipsi, et tenebat non intellecta, sed hoc non est admodum ad rem ad explicandam magnam illius populi praerrogativam. Quare magis crediderim quod oracula illius credita idem est quod legem Dei et Sacram Scripturam illis fuisse traditam. Et facit quod in Psalmis eloquia sive λογια saepe accipitur pro Sacra Scriptura cuius videtur elogium esse appellari eloquia Dei, et nota plus esse eloqui quam loqui. Vel intellige per eloquia promissiones Dei, quasi diceret que Dios les dio a ellos su palabra.

6. Sed dices non videri magnum privilegium aliquid mihi custodiendum tradi si eius tandem fructus aequaliter ad alios pertinet, imo videtur Apostolus respondere ad idem per idem, iam enim supra dixerat iudaeos habere legem scriptam, et nihilominus ostenderat vanissime illos in ea confidere et gloriari: quomodo ergo nunc ad explicandam magnam praerrogativam nihil aliud affert nisi legem illis fuisse traditam, cum haec esset quaestio, an ille iudaeus qui legem habebat scriptam haberet aliquid amplius quam ethnicus qui illa carebat. Respondeo aptissimam esse responsionem si id ipsum in quo vane

<sup>34</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom*, l.2. PG 14,914s.

gloriabantur (dic del ser cristiano viejo o caballero etc o de tal religión, etc) quasi iam consequuti veram iustitiam, ostendatur esse magna praerogativa non sanctitatis sed utilitatis et quasi talentum tibi traditum ad negociandum, quod potius exigit curam et diligentiam quam securitatem et vanam confidentiam. Et quidem huiusmodi sunt fides et Sacra Scriptura quae homini ex divinae providentiae favore eximio traduntur et comittuntur in hac vita sed ea elapsa non solum repetendum est depositum sed lucri etiam ratio petenda est. Et nihilominus quantum sit beneficium facile patet ex officio depositarii publici quod magno praecio emunt homines.

7. Dico igitur Sacram Scripturam non fuisse traditam iudaeis solum in custodiam sed ut interim eius fructum perciperent qui per se est uberri-  
mus; quod si in multis iudaeis non bene succesit, illorum negligentiae id tribuendum est. Si vero praerogativa non solum ad doctrinam sed etiam ad Dei promissiones referatur, id est ad foedus initum inter Deum et homines, huius pacti et foederis publica instrumenta sunt Sacrae Scripturae quae tradi solent iis in quorum favorem ordinantur. Cum ergo ait *credita esse illis eloquia Dei*, sensus est que se les entregaron las Escrituras y obligaciones, id est Deum se illis obligasse et promisisse cornu salutis per Messiam cum immensis beneficiis quae huic tanquam capiti subnectuntur. Sed dices: quid refert quod tibi peculiariter promittat si postea mihi etiam exhibetur? Cum ergo salus omnibus tandem sit allata per Christum non videtur adeo ampla utilitas esse iudaeo prae ethnico quod illi sit facta et tradita obligatio. Respondeo non solum in eo includi honoris privilegium eximium sed etiam maximam utilitatem: 11, quia ipsa foederis scriptura per se est maxime salutaris, qua utilitate carebant gentes ante adventum Messiae atque ita multo plures ex paucis iudaeis iustitiam consequerentur quam ex tota gentilitate. 21, etiam in Evangelio ex vi illius foederis et conventionis tenebatur [f.157v] quodammodo Deus efficere id quod certum est fecisse, nimirum liberaliorem se praebere cum electis ex iudaismo quam cum vocatis ex gentibus. Et patet quia Apostoli atque discipuli primitias Spiritus acceperunt.

8. *Quid enim si quidam illorum non crediderunt?* Id est fidem datam frugerunt neque adduci potuerunt ut se subderent Gratiae Dei. Quid hoc refert, ait Paulus, *numquid incredulitas eorum*, su deslealtad, el no acabarse de rendir, *fidem Dei evacuavit vel evacuabit? Absit.* Nota 11, Apostolum non dicere omnes iudaeos esse incredulos et pertinaces, sed quosdam illorum. 21 ait, hanc aliquorum duritiem et pertinaciam non prohibere quominus sit magna iudaeorum praerogativa quod illis sint credita eloquia Dei. Et 31, reddit rationem huius dicti, nimirum quod illorum incredulitas non tollit fidem Dei. Ex quo plane colligitur quod illa praerogativa nititur Dei fide,



id est veracitate et fidelitate Dei in promissis. Atque ita eloquia Dei credita omnino debent referri ad pactum et conventionem.

9. Sed circa hoc Dubitatur 11, quomodo non dicat Paulus omnes incredulos fuisse sed *quosdam*, cum tamen infra, in hoc eodem capite adeo universaliter condemnet omnes. Et urgeo pressius : infra ostendit Paulus in vera iustitia et sanctitate non superari ethnicos a iudaeis, ergo intelligit neminem ex iudaeis fuisse vere iustum; ergo non debuit dicere *quosdam* fuisse incredulos sed omnes. Ubi nota non latius patere iniustitiam quam incredulitatem (ut hic accipitur), ut patet ex contextu et omnium expositione. Responderet quis infra loqui de peccato originali in quo omnes nascimur, hic vero loqui de iniustitia in qua homo permanet per peccata actualia. Sed quod infra non loquatur de peccato originali sed etiam de actuali iniustitia videtur indubitabile ex ipso textu, maxime quia hactenus non egit de peccato originali, et nihilominus ait se iam ostendisse omnes sub peccato esse. Respondeo ergo aliter et melius. in utroque loco Paulum agere de iniustitia peccatorum actualium, sed cum ipse statim probet aliquos per fidem Christi fuisse iustos, ut Abrahamum, plane colligitur quando universaliter ait omnes esse iniustos et sceleratos, loqui de hominibus relictis suis viribus quamvis divina lege instructi sint, nisi ad Christum per fidem rite confugiant, nam hoc est quod intendit Apostolus. Et nihilominus legem et pactum Dei docet esse maximum beneficium, quia afferendo cognitionem peccati docebat confugere ad Christum et ad eius gratiam animum disponere. Et certum est quod ante Evangelium multi iudaei se disponebant ea ratione ex Dei auxilio, sed isti non iam pertinebant ad iudaismum sed ad Evangelium, ut optime docet D. Thomas, 1 2, q.107, a.1, atque ita intelligitur quomodo nihilominus verum sit iudaeos non praecellere, scilicet secundum id quod erat proprium iudaismi, nimirum legem et circumcissionem etc, secundum id nondum esse iustos, nisi a lege ad Christum quodammodo transferrentur : confugere vero ad Christum per fidem non erat proprium legis, quia gentiles etiam aliquot ut Job et alii sunt ea ratione iustificati; atque ita in vera sanctitate non praecellit iudaeus ethnicum proprie loquendo, licet haberent iustitiam atque salutem ut ita dicam propiorem, quia ipsa lege ad eam deducebantur.

10. Superest examinare quomodo intellegatur *fidem Dei non evacuari*, id est destrui, propter quorundam incredulitatem. Respondeo tres solere afferri expositiones : 10 est Photii, Dionisii et Erasmi<sup>35</sup>, qui explicant quorundam incredulitatem non impedire quominus erga alios sit fidelis Deus, quasi diceret impium esse intelligere quod Deus hominum more, a quibusdam offensus

<sup>35</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom*, c.3,3. Opera omnia, Lugduni 1705, t.6, col.571.

pacta rescindat et nulli prestat quod omnibus ex aequo promissum est; quia quamvis iuxta regulam iuris aequum sit ut frangenti fidem fides frangatur eidem, sed unius impietas non debet altero nocere, atque ita futurum est ut nemini non praestet promissum nisi ei qui reiecerit oblatum ut iam promissionis fidem incusare non possit. Verum haec expositio non videtur ad mentem Pauli, quia secundum eam non est sermo de fide erga rebelles et inobedientes, atque adeo non esset ad rem quod Paulus adducit ex Ps 50 *tibi soli peccavi ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaveris*: in quo, (ut ex ipso Paulo probat Jansenius) asseritur Dei fidem non solum non destrui sed etiam illustriorem reddi occasionaliter per nostra peccata dum peccatoribus etiam se Deus miro quodam modo fidelissimum exhibet. Ex quo etiam patet contra Photium atque Dionisium Dei fidem non debere intelligi fidem erga Deum, id est eam quam iusti habent, quasi diceret non propterea fidem donorum esse inanem atque fallacem: sed aliquid maius intendit Apostolus. [f.158]

11. 20 explicatio est etiam eiusdem Photii, et praeterea Ambrosii<sup>36</sup>, Cajetani<sup>37</sup>, Ganeii et Adami, scilicet hominum impietate et sceleribus non potuisse fieri ut Deus non praestaret tandem id quod promiserat mittendo illis Redemptorem atque Messiam, quia haec erat absoluta promissio, atque adeo omnibus modis implenda, et non sicut comminationes prophetarum, de quo vide D. Thoma<sup>38</sup> hic.

Sed dices : quorsum hoc ad rem dum Apostolus conatur vel probare vel explicare illius supradictae praerogativae iudaeorum magnitudinem et utilitatem de custodia Sacrae Scripturae? Respondeo quod utilitas Sacrae Scripturae (de qua supra, ‘7) non erat solida si non fuisset omnino certum nullis hominum peccatis Dei pactum et promissionem de mittendo Messia irritum fore. Nam peccator posset dubitare an haberet remedium, et iustum an frustra laboraret. Atque ita, ut Apostolus ostenderet quam solida esset utilitas creditorum eloquiorum, optime subiecit Dei promissionem nullis peccatis frustrandam. Iuxta hanc expositionem facile est intelligere quam bene cohaereat textus Ps 50 quem adducit Paulus, nam quivis consideratis suis peccatis et eorum gravitate perpensa facile iudicabit si in iudicium afferantur ea quae a Deo in ipsum et ab ipso in Deum gesta sunt victoriam certe et iustitiam omnem reperiri apud Deum, et ex ipsa peccatorum oppositione magis elucere divinae beneficentiae magnitudinem, praesertim in opere nostrae Redemptionis. Quae consideratio habet particularem energiam in Christi pro-

<sup>36</sup> AMBROSIUS, *Comment in ep ad Rom*, 3,3. PL 17,76.

<sup>37</sup> THOMAS a VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom*, c.3, v.3. Lugduni 1639, p.14.

<sup>38</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom*, c.3. Ed Vivès 1876, t.20, p.424.

genitoribus, ut in Davide. Con sus pecados no solo no frustraban sino antes ilustraban la promesa de Dios.

12. 30 expositio est Chrisostomi, Theophilacti et Oecumenii<sup>39</sup> qui intelligunt sermonem esse de fidelitate et bonitate Dei quae elucet in ipsa eloquiorum suorum traditione, quasi diceret nihil derogari fidelitati et bonitati Dei quod sua oracula dederit iis quos sciebat futuros esse incredulos et ingratos, vel eorum ingratitude non efficere ut illud non fuerit magnum privilegium, atque adeo Deus valde beneficus in concedendo; imo vero, id cadere in illustriorem Dei laudem quod eos honore affecerit a quibus se dehonestandum sciebat. Atque ita quamvis illi non consequuti fuerint promissa propter suam infidelitatem, id est iustitiam et sanctitatem et liberationem ab inimicis, non tamen propterea Deus fuit minus fidelis in eo quod eos invitavit et allicere conatus est magnis propositis praemiis. Et sic etiam quadrat optime quod adducitur ex ipso Ps 50.

Sed obiicies beneficium male locatum, male factum solere appellari. Respondeo 11, eam esse angustam nostrae parvitatibus mensuram (es medida de liberalidad apocada,) sed divina liberalitas *solem suum oriri facit super bonos et malos*. 21 dico non male locari beneficium propterea quod multi abutantur si futurum etiam est ut aliis bene locatum sit, et forsam propterea dixit Paulus quosdam fuisse incredulos non omnes. 31, quamvis omnes fuissent increduli Deus tandem sapienter ex illorum incredulitate eliceret bonum atque ita tandem illud beneficium in suo ultimo fine esset bene locatum.

#### Lectio 20

#### *Est autem Deus verax, omnis homo mendax*

1. Nota peccatorem appellari incredulum et mendacem, sicut contra, sanctitati tribuitur fidelitatis et veritatis nomen. Et quidem iam alibi reddimus rationem cur omnis virtus appelletur fidelitas et omne vitium incredulitas seu infidelitas. De veritate vero et mendacio multi etiam sunt Sacrae Scripturae loci et rationes in promptu. Is 59,13 pro eodem accipitur peccare et mentiri contra Dominum. Hier 8 et Apoc 22 notantur ii qui amant et faciunt mendacium, *facere* ait, non *dicere*.

CRatio 10 est quia omnis peccator mentitur in eo sensu in quo dicitur Hab 3 *mentietur opus olivae* quando non dan el fruto que debían de dar. *Sed expectavi ut faceret uvas et fecit labruscas*, vel quia non inveniunt in suis operibus id quod se inventuros existimant, que prometen lo que no dan atque

<sup>39</sup> OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom*, 3,3. PG 118,370.

ita dicitur amare mendacium y non sequuntur verum bonum sed apparens, no el oro sino la fuslera. [f.158v] CRatio 20. Porque desdicen de lo que creen y profesan obrando al reves, et quia non solum verbis sed etiam reliquis actionibus solemus manifestare nostram mentem, hinc est ut ipsae actiones continent quandam loquelam, atque ita cum mendacium sit quaedam loquutio quae non correspondet iudicio interiori, qui contra conscientiam peccat mentitur quia facere est quodam dicere iuxta illud *confitentur se nosse Deum factis autem negant*, vel dicuntur peccatores mendaces en quebrantar la palabra que habían dado a Dios, quia fidem datam irritam faciunt ut ait Paulus, nam foedifragos mendaces appellamus. Et in hoc sensu videtur dicere Paulus Deum esse veracem quamvis omnes homines sint mendaces. (Tener medidas falsas, una para Dios y otra para el mundo *Mendaces filii hominum in stateris*, iuxta nostram lecturam).

C30 ratio est propter levitatem, inconstatiam suarum actionum, vel quia facile evanescunt y así quanto hacen todo es obra falsa que luego se deshace y no tiene más que aquel primer lustre. Denique id quod futile est et vanum falsum appellamus, et hoc sonat in hebraeo illud Ps 61 [10] *mendaces filii hominum in stateris* ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Vide Jansenium.

2. Sed ut obiter dicam, alius est sensus illorum verborum Ps *mentita est iniquitas sibi* (perjurole). Ut bene Jansenius. Et forsam abundat ex hebraica phrasi ille dativus *sibi*. Sicut in Canticis [1,7] *si ignoras te o pulcherrima inter mulieres*, si no te lo sabes. Et similiter etiam non est ad rem illa alia phrasi Ps 18 et 80 et Deut 33, inimici dicuntur mentiri, id est rendirse y estar muy sujetos, cujus phrasim analogiam optime explicat Villavicencio verbo *mentiri*. Sed ex locis in quibus *mendacium* sonat *iniquitatem*, et ex rationibus iam dictis facile intelligetur cur, contra, virtus appelletur *veritas*, et quid sibi velint illae phrases *via veritatis, ambulare in veritate, verum cor et verissima disciplinae concupiscentia*. Et de his hactenus. Iam ad locum Pauli veniamus.

3. Nota quosdam suspicari corrupte legi per indicativum *est autem Deus verax, etc* et interpretaem transtulisse *esto autem Deus verax* per imperativum, tum quia in graeco per imperativum legitur *fiat autem Deus verax*, tum etiam quia Origenes<sup>40</sup>, vel ibi Hieronymus, testatur in codicibus latinis legi *sit autem Deus verax*. Sed quod attinet ad sensum dico bene habere nostram literam per indicativum quia ipse Origenes fatetur non tam debere intelligi optative quam enuntiative. Et perinde est sive postulet Paulus ut Dei veritati nihil detrahatur vel derogetur, sive asserat Deum esse omnino veracem. At-

<sup>40</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.3*. PG 14,922.

que illud *fiat* quod est in graeco habet huiusmodi vim quasi diceret in omni eventu siempre se ha de hacer buena esta proposición *que Dios es verdadero*.

4. Quod sequitur *omnis autem homo mendax* videtur plerisque adduci ex Ps 115, et propterea adiecisse Apostolum illa verba *sicut scriptum est*. Verum quia magis verisimile est Davidem ibi loqui in alio sensu, ut observat Jansenius, (quia David ait se illud dixisse in excessu id est estando fuera de sí, sicut et illud *ego dixi in excessu mentis meae, projectus sum a facie oculorum tuorum*, quare sensus es que desconfiaba de la promesa de Samuel.) Quare in praesenti potius crediderim illa verba *sicut scriptum est* referri non ad id quod praecedit sed ad id quod sequitur ex ipso Ps 50, imo aliter non satis apte subiiceretur verba sequentia ex ipso Psalmo, ut patet consideranti.

5. Praeterea nota non videri ad rem quod Paulus velit asserere omnes homines esse infideles sive mendaces, id est desleales, quia solum dixerat quosdam non credidisse, et adhuc perstat in eiusdem obiectionis solutione, atque ita solet explicari Deum semper esse fidelem atque veracem quantumvis quilibet mentiatur et infideliter se gerat. Unde apparet neque locum Psalmi 115 neque locum Apostoli, iuxta hanc interpretationem postulare ut intelligamus omnes homines esse mendaces, quamvis haec propositio habeat etiam sensum catholicum atque adeo verissimum, sicut etiam illae omnes quae sequuntur *non est qui faciat bonum etc* loquendo de illis qui non sunt per Christum iustitiam consequuti vel loquendo de natura defectibili ut alii exponunt.

6. Nota id quod sequitur *si autem iniquitas nostra etc* usque ad illud *quorum damnatio iusta est*, non admodum pertinere ad huius epistolae praecipuam intentionem, atque adeo sublata etiam hac clausula decurrit optime sensus lecturae continuatus. Sed obiter adiecit Apostolus, id est potius interposuit eam interrogationem et responsionem liberandam a calumnia suam doctrinam, et irridendam eorum stultitiam qui cum admirent Dei fidem et bonitatem [f.159] magis collucere ex peccatorum oppositione, fortasse intelligebant id provenisse ex ipsa peccatorum natura atque adeo inferebant deinceps esse peccandum ad illustrandam magis Dei gloriam. Contra quem errorem et impietatem non multis disputat Paulus contentus detestatione et irrisione illius; neque existimavit opus esse ad explicandam rem adhibere eam distinctionem, nimirum cum ex hominum peccatis dicitur elucere magis Dei gloriam non debere intelligi tanquam ex medio congruo et convenienti sed tanquam ex occasione, sicut principis clementia superlucere potest in gravi noxa condonanda. Non opus inquam fuit ea explicatione, quia cum dixisset absolute Dei fidem ex hominum peccatis plenius collucere, et ad

obiectionem adiecisset se non ita intelligere ut quidam calumniabantur, satis manifestum erat quomodo intelligeret, atque ita miror quosdam notasse Apostolum reliquisse hic argumentum insolutum ut postea plenius responderet propter difficultatem : sed si explicatio obiectionis consistit in illa distinctione stultum est exigere ut Apostolus respondeat categorice more logico, quia ex affirmatione alicuius propositionis cui subest duplex sensus et negatione unius satis intelligitur electio alterius.

7. Ex dictis patet frustra laborare Cajetanum<sup>41</sup> ut explicet illa verba *si autem iniquitas nostra etc* non proponi per modum obiectionis ne videatur manere insoluta, sed quod Apostolus asserat se non dicere quod iniquitas nostrat iustitiam Dei commendat. Simplicius tamen est cum communi sententia illud accipere per modum obiectionis ita ut Paulus non neget illam propositionem, quia habet sensum verissimum, sed neget id quod ex illa male intellecta infertur.

8. ***Qui infert iram.*** Inferre iram dupliciter accipi potest : 11 ut idem sit quod infligere vindictam et ulcisci peccatum sicut supra dixit *revelari iram Dei*, et sic plerique. Aliter vero Erasmus<sup>42</sup>, ut *inferre iram* sit procurare ut homines peccent quo magis elucescat sua iustitia et fides; sed non placet quia ex illa iniqua Dei procuracione potius inferretur indignationem contra Deum quam desiderium gloriae ipsius; et tamen ille impius error quasi ex studio gloriae divinae colligebat vacandum esse peccatis neque Deum propterea debere indignari vel ulcisci: ait ergo ***numquid iniquus est Deus qui infert iram?*** quasi dicat dicemusne cum quibusdam haereticis iniquum esse ut Deus irascatur?

9. ***Secundum hominem dico,*** quasi dicat hanc obiectionem ex persona carnalis hominis propono cui istud fortasse videri possit, et nota hanc esse insignem loquutionem qua modeste quidem sed tamen significantissime tangitur humanae naturae miseria, cum in Sacra Scriptura nomen *hominis* est nomen contumeliae et vanitatis, de quo vide plura in Villavicentio, verbo *Adam* et quaedam verbo *homo*.

10. ***Si autem veritas Dei in meo mendacio abundavit etc,*** id est porque si mi deslealtad fuera medio conveniente para engrandecer su verdad y lealtad para mayor gloria suya, por qué se me había de atribuir a mí a pecado? Et *non faciamus mala*, et clarius cur non liceret facere mala etc; ubi vides secundum hanc explicationem argumentari Paulum ex propria persona et obiicere aliis, non sibi. Quamvis aliter alii explicant. Illud ***quorum damnatio iusta est*** re-

<sup>41</sup> THOMAS a VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom*, c.3,v.5. Lugduni 1639, p.15.

<sup>42</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom*, c.3,5. Lugduni 1705, t.6, col.574.

fert Cajetanus<sup>43</sup> non ad calumniantes sed ad eos qui *faciunt mala ut eveniant bona* sed id nulla ratione cohaeret in nostra explicatione quae certe videtur multo lenius fluere et accommodatius ad Pauli intentionem.

## Lectio 30

*Quid ergo, praecellimus?*

1. Revertitur Paulus ad suam quaestionem et loquitur ex persona iudaeorum, (él los salta en grupo, y sin él parece que está mejor) eo quod ipse erat iudaeus, quasi diceret quid ergo, praecelluntne iudaei ethnicos absolute vel loquendo de praecellentia in vera iustitia et sanctitate, ut diximus supra lectione 1 (ubi iam est difficultas complanata). Quod vero ait causati sumus vel praecausati, graeci explicant causis allatis vel ratione reddita ostendimus. Crediderim tamen melius explicari hispana voce Aporque ya les hemos achacado a todos que son reos y culpados. Quod iterum confirmat variis testimoniis ex Sacra Scriptura, et subiicit ea non solum intelligi de gentibus, sed maxime etiam de iudaeis, pues que habla de ellos. Et concludit se adeo urgere locis allatis ut nemo iudaeus mutire audeat vel de iustitia blaterare sed omnes subiiciantur gratiae Dei. (Nam ut notat Hieronymus Ps 13 non sunt omnia illius Psalmi. Vide ibi interpretes.) [f.159v]

2. Sunt qui sententias illas *non est iustus quisquam, non est qui faciat bonum, etc* referant ad peccatum originale. Sed supra, lectione 1, n.9, ostendimus omnino agere Paulum de peccatis actualibus; rursus alii referunt ad peccata venialia, ut cum ait *non est iustus quisquam* supleatur quin peccet in aliquibus salten venialiter. Sed haec explicatio eadem ratione expugnatur, quia ipse Paulus testatur se hoc antea probasse cum ait *praecausati sumus*. Atqui supra non meminerat nisi gravissimorum peccatorum et praeterea illud nomen *subditus* (cum ait *et subditus fiat omnis mundus Deo*) ex graeca voce βλοδικος quae est vox forensis omnino significat obligatum et obnoxium ad poenam luendam sententia; ergo Pauli, ut supra vidimus est omnes facere reos gehennae citra beneficium Christi, atque ita simul stat aliquos atque adeo multos ex iudaeis et ex gentibus fuisse vere iustos per beneficium Christi, id est per fidem in Christum.

3. *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo*. Miror quosdam explicare quod ex operibus legis etiamsi ipsa praestentur non poterit aliquis iustificari apud Deum, non quia haec propositio non habeat verum sensum, iuxta Augustinum, De Spiritu et littera, c.8<sup>44</sup>, intelligendo ex

<sup>43</sup> THOMAS DE VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom*, c.3, v.8. Lugduni 1639, p.16.

<sup>44</sup> AUGUSTINUS, *De spiritu et littera*, c.8. PL 44,208.

*operibus legis*, id est ex merito operum legis; et loquendo de iustificatione peccatoris, imo iuxta eundem Apostolum in fine huius capituli et infra; sed quod haec explicatio nullo modo cohaereat cum contextu. Quia ut vidimus, hactenus Paulus probavit omnes esse multis sceleribus obnoxios. Vide ergo quam inepta probatio esset *omnes sunt flagitiis cooperti*, quia quamvis legem impleant non tamen propterea iustificantur apud Deum. Intelligit ergo factores quidem legis, ut supra dixerat, iustos esse apud Deum sed neminem esse legis factorem. Alioqui etiam non cohaereret quod sequitur, scilicet per legem nihil aliud conferri nisi cognitionem peccati, id est non gratiam et vires sed cognitionem et occasionem peccati, ut latius infra. Non ergo agit de peccatoris iustificatione sed de iustitiae vera possessione, de lo que es ser un hombre justo y merecer nombre de tal delante de Dios.

4. *Nunc autem etc.* Vidimus supra cap.1, lectione 5, statum huius epistolae consistere in illa propositione *Evangelium est virtus Dei in salutem credenti*, quam diximus esse exclusivam et continere negationem cuiuscumque alterius iustitiae. Hactenus ergo Paulus probavit nullam aliam esse iustitiam: iam vero ab isto loco incipit explicare quomodo per Evangelium, id est per Christi Redemptionem allata sit omnibus salus, atque ita ait *nunc*, id est illis proximis diebus en que comenzó el tiempo de la ley de gracia, *iustitia Dei manifestata est*, de qua propositione vide supra, c.1, lect.7. Sed quod ait *sine lege* explicant quidam absque ullo merito operum legis et naturalis; sed magis placet ut significet legis scriptae antiquationem, et loquatur non solum de peccatoris iustificatione sed universaliter de omni iustitia legis evangelicae, quae non est sine lege naturali. Ait ergo sine lege, quasi diceret sin haber ya necesidad de la ley escrita.

Subdit *testificata a lege et prophetis*, quod dupliciter et bene explicat Adamus.

5. Sequitur *Iustitia autem Dei per fidem IesuChristi etc.*, de quo supra l.7. *Non enim est distinctio*, quasi diceret a todos sin excluir a ninguno, nam *in Christi Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praepetium*, vel *non est distinctio*, no hay ninguno que no tenga necesidad de ella: quo modo magis cohaeret quod sequitur *omnes enim peccaverunt*. Porro *egere gloria Dei* latini fere accipiunt pro eo quod est indigere ut Deus glorificetur in peccatorum condonatione, in quo sensu docemur quam sit gloriosum Deo remittere peccata, quandoquidem ea remissio appellatur ab Apostolo gloria Dei. Sed nescio quomodo ea explicatio aptari possit textui graeco, in quo ad verbun habetur et posteriorantur gloria Dei; posteriorari vero est quedarse atrás, no alcanzar, vel posteriores sunt, id est inferiores; denique *egere* id est carere,



sic inim exponit Chrysostomi et graeci, ita ut carere gloria Dei sit idem quod cap.4 dicitur non habere gloriam apud Deum. Sic enim videtur dici gloria Dei sicut iustitia Dei, id est apud Deum. [f.160]

6. *Iustificati gratis etc.* Nota syntaxim nonnihil molliendam *omnes peccaverunt iustificati* id est *omnes peccaverunt* ; *iustificati* autem sunt vel iustificantur : qua disiunctione utor quia in graeco non est participium praeteriti sed praesentis. Unde vane quis obiecerit ex isto loco *omnes* iam esse iustificatos eo quod Paulus dicat omnes peccasse et iustificatos esse. Non enim hic est sensus sed ille quem omnes plane acciperent si ita loqueretur : omnes quidem peccaverunt, iustificantur autem per fidem in Christum, etc. Qua loquutione proculdubio explicatur modo quo ad iustitiam perveniunt quotquot iustificantur. Sed cum noster interpres plerumque verbum verbo reddat et latini non habeant participium passivum praesentis, potuit pro illo abuti participio praeteriti, maxime cum in eadem Pauli intentione sicut pueri antequam generentur dicantur peccasse in Adam, quia erant virtute in eo sicut in capite et tamen nondum contraxere peccatum, ita etiam omnes antequam simus renati in Christo, id est vere consequuti iustitiam, possumus dici iustificati in Christo sicut in capite quamvis ea iustificatio nobis non prosit nisi renascamur, etc. De quo optime Luis de León, De nominibus Christi in illo nomine *Pater futuri saeculi*.

7. In iustificatione peccatoris notant bene interpretes quam accurate coniungat Paulus gratiam donationis et iustitiam emptionis. Nam primo ait *gratis*, et explicat magis per gratiam ipsius Dei, et postea misericordia et veritas abundaverunt sibi, iustitia et pax, etc. bis et ter quod pulchrum est repetit, nimirum eam ipsam gratiam donari peccatori propter iustissimum praetium a Christo acceptum: atque adeo Deum Optimum Maximum in summa misericordiae lenitate nihilominus ostendere summum rigorem iustitiae, ita ut idem Deus sit iustus peccata puniens in Christo, et misericors gratis iustificans peccatorem qui est ex fide Iesu Christi. Alii nomen divinae iustitiae quam hic Paulus inculcat referunt ad oppressorum liberationem vel ad promissorum fidem, sed maiorem habet energiam prima explicatio, in qua ad iustam peccatorum vindictam et iustum nostrae salutis praetium respicitur, de quo praetio videntur omnino accipienda illa verba *per redemptionem quae est in Christo Iesu*, quasi diceret por el rescate que tenemos en Cristo, accipiendo redemptionem pro praetio redemptionis.

8. *Quem proposuit Deus propitiatorem* vel *propitiationem*, utrovis enim modo legitur et utramque lectionem admittit nomen graecum, ut notat Erasmus<sup>45</sup> et lovalienses, nam si accipiatur in masculino genere sonat *propitia-*

<sup>45</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom*, 3,25. Opera omnia, Lugduni 1705, t.6,576.

*torem*, ut legit Ambrosius<sup>46</sup> et Syriaca; si vero in neutro, *propitiationem vel placamentum* : et est illud idem nomen *propitiatorii* quod habetur in Exodo et ad Hebraeos 9. Atque ita Origenes<sup>47</sup>, Chrysostomus<sup>48</sup>, Theophylactus<sup>49</sup> et alii sentiunt Paulum hic significare illud propitiatorium fuisse typum Christi, quasi diceret Christum esse nostrum propitiatorium in quo Deum habemus propitium per fidem ipsius. Sic enim solemus loqui éste es el verdadero propitiatorio que Dios puso sobre el arca. Favet Augustinus, *De spiritu et littera*, c.13<sup>50</sup>, qui legit quem proposuit Deus propitiatorium. Porro quam apte adumbraverit Christum illa aurea tabella late persequitur Origenes et aliter Naclantus. Aliter etiam et bene Origenes *Christum esse propitiationem*, id est sacrificium et hostiam pro nostris peccatis vel medium reconciliationis, nam in eo sensu appellatur Christus nostra propitiatio 1 Jn 2 et 4, vel de vi illius verbi *proposuit* vide infra n.11, vel lectione 4, n.3. [f.160v]

#### Lectio 40

1. ***Propter remissionem praecedentium delictorum.*** Primus sensus est Deum in Christo ostendisse suam iustitiam ut in nobis suam ostenderet misericordiam remittendo nobis omnia peccata. Alii volunt ut particula *propter* sit idem quod *per* (ut Jn 15 *iam vos mundi estis propter sermonem etc*), quasi diceret Christi propitiatione effectum esse ut reluceret iustitia divina per ipsam remissionem (que es más que si dijera *in ipsa*) quia debetur Christo de rigore iustitiae ut confugienti ad ipsum remittantur peccata. (Aliter alii, scilicet in Evangelio ostendi iustitiam Dei, id est veram iustitiam, propter remissionem peccatorum, id est eo quod antea vitae peccata condonentur homini quod non poterat praestare iustitia iudaica vel philosophica. (1Jn 1,9: *Si confiteamur peccata etc fidelis et iustus est ut remittat nobis peccata.*)

2. Haec quidem bene habent si accipiatur nomen *remissionis* pro condonatione, ut accipiunt fere latini et Erasmus<sup>51</sup> hic,... Stephanus et Vatablus.

Sed Nota 11 hic non esse  $\alpha\phi\epsilon\sigma\iota\nu$  sed  $\acute{\alpha}\rho\epsilon\sigma\iota\nu$ , a verbo  $\pi\alpha\rho\acute{\iota}\eta\mu\iota$ , quod numquam alibi, quod ego viderim post diligentem... neque in Sacra Scriptura neque ex... significet parcere et condonare. Et confirmatur ex varia doctorum interpretatione ut patet supra et ex iis omnibus quae adducit thesaurus graecus si bene perpendantur.

<sup>46</sup> AMBROSIIUS, *Comment in ep ad Rom*, c.3,25. PL 17,83.

<sup>47</sup> ORIGENES, *Coment in ep ad Rom*, l.3. PG 14,947.

<sup>48</sup> J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom*, homil 7. Pg 60,444.

<sup>49</sup> THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom*, 3,25. PG 124,387.

<sup>50</sup> AUGUSTINUS, *De spiritu et littera*, c.13. PL 44,213.

<sup>51</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom*, 3,26. Lugduni 1705, t.6, col.576.

21 nota Ambrosium<sup>52</sup> et Augustinum, de Spiritu c.13<sup>53</sup>, non legere remissionem sed propositum, in qua significatione raro accipitur nomen πάρεσις. Adeo ut miretur Erasmus et existimet eos sequutos fuisse corruptum aliquod exemplar, sed ex Budaeo probat bene Adamus aliquando πάρεσιν significare propositum, et explicat quomodo possit in praesenti cohaerere, se oportet subaudire aliquid, et certe... duriusculum est, atque ita nemo sequitur eam lectionem.

31 nota Crysostomum et Theophilactum<sup>54</sup> sequutos fuisse aliam eiusdem vocis significationem, in qua πάρεσις est languor, defectio et tabes, propter quam Deus misericordia motus cum videret mundum peccatis tabefactum atque languentem exhibuit propitiatorem qui sanaret hanc tabem et illius iustitiam manifestaret; et posset hic sensus aptari nostrae litterae, nam languor, defectio et dissolutio membrorum dicitur etiam remissio, quasi diceret que viendo Dios la flojedad y mortandad y caimiento que los pecados causaban en el mundo, propterea, para curarle, manifestavit suam iustitiam in Christo, como si para curar el pie se hiciese la justicia en la cabeza.

**41 nota** quod verbum παρήμι es también aflojar, unde poterat esse sensus propter πάρεσιν, id est para que aflojasen los pecados, et similiter, in nostra lectura, proptar remissionem, id est ut remitterent, sicut dicuntur imbres remittere cum cessant vel minores fiunt (quando amansa la furia).

Denique usitatissima eiusdem verbi significatio est sinere, permittere praetergredi, pasar por una cosa, permitirla, consentirla, dejar hacer, et cohaereret optime sensus si legeremus *propter permissionem praecedentium delictorum etc* que convino que mostrase Dios su justicia en Cristo, por haber permitido tantos pecados con tanta paciencia, para mostrar después en la ofensa [?] su justicia. Et huic etiam sensui potest nostra lectura deservire, ut patet Ps 30 remitte mihi ut resugerer, id est permitte mihi, déjame, etc. Hunc sensum nemo indicat sed certe mihi valde placet omnibus perpensis. [f.161]

3. **Praecedentium** graece προγεγονότων, id est praeteritorum, in qua voce philosophant interpretaes quod Apostolus significet peccata eorum qui praecesserunt adventui Christi per Christum esse remissa, quae annotatio meo iudicio commodiorem habet locum in illo verbo *proposuit Deus propitiatorem* considerata vi praepositionis graecae, ut ibi notat Origenes<sup>55</sup>, nam quem proposuit est quem prius posuit, si ergo remissio sit promissionis vel

<sup>52</sup> AMBROSIUS, *Comment in ep ad Rom, c.3,26*. PL 17,84.

<sup>53</sup> AUGUSTINUS, *De spiritu et littera, c.13*. PL 44,213.

<sup>54</sup> THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom, 3,25*. PG 124,387.

<sup>55</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.3*. PG 14,950.

cessatio vel languor erga peccata praecedentia sive praeterita appellat, tantos pecados como habían pasado, a primo peccato Adae *in sustentatione Dei*, id est permitiéndolo Él con tanta paciencia esperando al pecador... hoc enim significat in Sacra Scriptura *sustentationis* nomen : et ponitur nomen Dei... pro relativo, ut saepe alibi: si vero remissio sit condonatio peccatorum non quadrat ut peccata praecedentia solum appellet ea quae hactenus erant admissa, ut exponit Adam, quia potest in universum intelligi de peccatis quae per primam vel ultimam iustificationem Dei dimittuntur homini loquendo etiam de iis qui postea nascentur. Hanc expositionem omnes optarent sed non omnes vident quam sit facilis. Id autem sic ostendo. Quando dicimus quotiescumque peccator convertatur ex toto corde ad Deum statim consequi omnium praeteritorum criminum veniam nemo existimat illud praeteritum non pertinere ad peccata crastina, sicut hispanice quando dicimus que se le perdonará todo lo hecho es lo mismo que decir que se le perdonará todos sus pecados, es decir todos los que hubiere hecho, porque nunca se perdona hecho y por hacer, sed solum peccata praecedentia, in quo admonemur de novitate vitae, ut bene Adam. Adde quod praecedentia delicta fortasse idem est quod vetera, ut magis patet ex graeco, et omnia peccata possunt dici in eo sensu in quo Apostolus agit de vetere homine nostro, vetere conversatione, veteribus peccatis, id est de las vejezes de nuestros pecados porque tienen su origen desde Adán, como decimos cristiano viejo a uno aunque sea niño.

4. *Ad ostensionem iustitiae eius* vel suae in hoc tempore. Optime pendit haec Adamus. Sequitur *ut sit ipse iustus et iustificans*, ubi videtur Apostolus explicare quae sit illa iustitia Dei quae ostenditur et revelatur in Christo et in Evangelio, ea scilicet per quam Deus manifestat se esse iustum et per quam facit hominem iustum, de quo c.1, lectione 7. Porro cum ait *eum qui est ex fide Iesu Christi*, contemplantur aliqui (Catarinus) quomodo per fidem tribuatur homini esse ita ut sit nova creatura; sed simplicius est ea phrasi intelligere credentem in Christum, eo modo quo iudaeum appellat eum qui est ex circumcissione.

5. *Ubi est ergo gloriatio?* Ad iudaeos proculdubio convertitur, ut plerique notant ex ipso contextu, et quod ait *exclusam esse* omnino est idem ac si diceret nullum relinqui gloriationi iudaeae locum, quamvis eleganter Augustinus velit iis verbis alium accommodare sensum, non quidem literalem sed valde curiosum in quo *excludere* sit *sacar a luz* como lo que sacan de vaciado los plateros vel sicut gallina excludit ova, et hoc modo *excludere* est tribuere vitam, eminentiam et perfectionem rei, et sic lex operum includebat vel adumbrabat sanctitatem quam fides christiana exclusit vel expraesit. Crediderim Augustinum exagitasse hanc explicationem eo quod alioqui non satis

acquiesceret in communi constructione, nam omnes fere intelligunt Apostolum dicere gloriationem iudaicam exclusam esse non per legem operum sed per legem fidei : quod si *excludere gloriationem* est convincere de peccato, certe ipsa lex operum eos convincebat tribuens peccati cognitionem; si vero est tollere gloriandi omnem occasionem eo quod ceremoniae et ritus iudaici non conferrent veram sanctitatem, lex fidei non efficiebat ut ritus iudaici sanctitate carerent sed ipsi per se carebant; quod si dicatur lex fidei antiquasse legem scriptam non agitur hic de ea antiquatione sed de vera iustitia quae solum contingit homini per humilem fidem in Christum sive sit iudaeus sive scytha. Propter haec, attendendo ad contextum et ad concisionem et brevitatem Divi Pauli ego dicerem orationem esse eclipticam qua utimur cum affectuose loquimur atque ita aliquid esse subaudiendum, quasi diceret ubi est gloriatio iudaica? Exclusa est. Per quam legem, sive in qua lege glorandum est? Per legemne factorum? Non, sed per legem fidei, et hoc est idem quod gloriari in Cruce Domini Nostri Iesu Christi; et sic optime cohaeret lectura. Et confirmatur quia interrogare per quam legem excludatur gloriatio est veluti supponere quod per aliquam legem est excludenda, scilicet vel operum vel fidei, quod neque iudaei asserebant nec ipse probarat neque satis in se cohaeret. [f.161v] De discrimine vero inter legem operum et legem fidei optime hic Adam et alii, ex Augustino de spiritu et littera, c.13<sup>56</sup>. Cur autem ipsa fides appelletur lex fidei, bene Sotus. Brevi et optime Cajetanus<sup>57</sup> sed melius D. Thomas<sup>58</sup>.

6. *Arbitramur enim etc.* (graece colligimus ergo), forsam *enim* por *itaque*, pues οἴν (vide Thesaurum et Calepinum), quare illud *enim* non est reddentis rationem sed affirmantis, atque ita augebit significationem illius verbi *arbitramur*, id est pro certo habemus (el *por cierto* está en el *enim*).

Deinde, quod ait *iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, quod non intelligatur de progressu vel perseverantia in iustitia sed solum de prima iustificatione doctissime hic interpretes contra haereticos, et nominatim Beda ex Augustino. Sed inter catholicos plerique (ut apparet cum Augustino) illa verba *sine operibus legis* intelligunt etiam de operibus legis naturalis, tum quia in se omnino est certum primam iustitiam non comparari ex ullis bonis operibus, tum etiam quia si Paulus solum ageret de ceremoniis legis scriptae non inde bene inferret iustificationem non esse ex debito sed ex gratia Dei, ut statim prosequitur. Ambrosius<sup>59</sup> vero et alii, quod Paulus ait

<sup>56</sup> AUGUSTINUS, *De spiritu et littera*, c.13. PL 44,214.

<sup>57</sup> THOMAS a VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom*, c.3, v.28. Lugduni 1639. P.18

<sup>58</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom*, c.3. Ed Vivès 1876, t.20, p.433.

<sup>59</sup> AMBROSIIUS, *Comment in ep ad Rom*, 3,28. PL 17,84.

*sine operibus legis* intelligunt de ceremoniis legis scriptae, quia alioqui non cohaereret quod sequitur **an iudaeorum Deus tantum** etc, ubi praesupponit solis iudaeis convenire opera legis; ergo non agit de lege naturali, et praeterea non esset bona confirmatio quam Paulus adducit de iustificatione Abrahae ante circumcisionem quia bene valet : iustificatus est ante circumcisionem, ergo ante legis ceremonias; sed non videtur valere ante circumcisionem, ergo ante opera legis naturalis.

7. Pro solutione et concordia, nota Apostolum in hac propositione non agere nisi de solis ceremoniis, sed in ratione quam reddit Paulus manifestat se idem sentire de universis bonis operibus, non enim hic agit de antiquatione legis scriptae, sed de toleranda inani confidentia in lege et collocanda in fide Christi ad consequendam iustitiam; ait ergo inanem esse iudaeorum gloriationem in suis ceremoniis quia non comparatur iustitia nisi per fidem in Christum, atque ideo sine illis ceremoniis per eandem fidem iustificantur homines. Et nota hoc dictum, scilicet *iustificari hominem per fidem sine ceremoniis legis* non adduci ad probationem iustificationis ex fide, sed potius colligi ex eo quod iustificatio est ex fide et non ex operibus; cum ergo ceremoniae sint opera, non potest ex illis homo consequi iustitiam; ex qua argumentatione patet idem intelligi de operibus legis naturalis. Et similiter quando postea probat Abrahamum non fuisse iustificatum ex merito circumcisionis sed ante illam, eadem argumentatione testatur non fuisse iustificatum ex ullo alio merito boni operis. Quod est valde notandum pro capite sequenti.

8. **Quoniam unus est Deus qui iustificat, id est iustificabit circumcisionem et praeputium**, id est iudaeos et ethnicos (ut probat Origenes<sup>60</sup>), sed quod ait *unum esse Deum*, duplex est argumentum, nam vel inde probat unicum esse debere iustificationis modum quandoquidem unus est Deus, sicut alibi *unus Deus, una fides, unum baptisma* etc, vel confirmat quod dixerat, scilicet iustificari hominem sine ceremoniis legis ex eo quod cum idem sit omnium Deus certum est quod omnes volet salvos facere, et tamen non omnibus imposuit legis ceremonias, ergo sine illis potest comparari iustitia. Cui sensui simile argumentum intelligunt aliqui subesse in illis verbis ad Galatas 3,20 *mediator unius non est, Deus autem unus est*, quamvis aliter explicet Seripandus.

9. **Iustificari ait circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem**. Philosophatur Origenes<sup>61</sup> in eo discrimene, scilicet cur non utrobique dixerit *ex fide* vel utrobique *per fidem*. Ego dixerim illud *ex* solere coniungi cum radi-

<sup>60</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.3*. PG 14,955.

<sup>61</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.3*. PG 14,955s.

ce, et illud *per* cum medio. Et certe fides est radix et medium iustificationis, sed proponitur iudaeis ut prima radix ad eorum reprimendam inanem confidentiam in suis ceremoniis vel operibus, id est ut intelligerent se neque prima iecisse iustificationis fundamenta neque ullam eius inchoationem habere.

19. *Legem ergo destruimus per fidem etc.* Simile est illud *non veni solvere legem sed adimplere*, et utrobique multa et belle interpretaetes. Brevi et optime D.Thomas<sup>62</sup>.

[f.162]

### Caput 3. Constructio

1. *Quae igitur est iudaeorum praerogativa?* Quid amplius accepere quam reliqui? Multum omnino. Primum enim illis tradita sunt divini foederis et conventionis ... instrumenta id est Sacra Scriptura ex qua poterant uberrimum fructum percipere. Quod si quidam illorum fidem datam fregerunt neque adduci potuerunt ut se subderent gratiae Dei non inde efficitur ut Sacrae Scripturae traditio non fuerit magnum Dei beneficium, quia id nititur Dei fidelitate et veracitate in promissis quae non solum non obscuratur hominum infidelitate sed potius ea ratione illustrior redditur.

2. Dum semper Deus invenitur fidelis et verax quantumvis homines mentiantur et infideliter se gerant, et ea ratione magis iustificatur Deus ut habetur Ps 50. (Sed obiiciet carnalis homo : si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat iniquum esset ut Deus irascatur et vindictam summat de peccatis, cum videatur esse conveniens medium ad ipsius gloriam. Sed absit hoc ut peccatum existimetur esse medium ex se ad Dei gloriam, cum solum sit occasio ex Dei bonitate, alioqui non posset Deus peccatores condemnare. Si enim mea infidelitas esset medium conveniens ad magnificandam Dei fidelitatem in gloriam ipsius quomodo possem ego condemnari de peccato et cur non liceret facere mala ut veniant bona, sicut blasphemamur et sicut quidam quorum damnatio iusta est aiunt nos dicere).

3. Sed ut ad propositum revertamur, numquid propter supra dictam praerogativam dicemus iudaeos etiamsi non confugiant ad Christum per fidem, praestare nihilominus ethnicis in vera iustitia et sanctitate ? Nequaquam: iam enim supra probavimus omnes esse multis sceleribus obnoxios; et confirmatur ex multis Sacrae Scripturae testimoniis quae non solum intelliguntur de gentibus sed maxime de iudaeis quandoquidem cum iis est sermo, ut nemo iam iudaeus mutire audeat aut de iustitia blaterare sed omnes subiiciantur

<sup>62</sup> THOMAS A.Q., *In ep ad Rom*, c.3. Ed Vivès 1876, t.20, p.434.

gratiae Dei, quia nemo potest se iustum ostendere coram Deo ex operibus legis, cum eam nemo impleverit, lex enim non praebet vires ad iustitiam sed solum peccati cognitionem. Ea ergo iustitia vera quam lex quidem et prophetae testificabantur sed non exhibebant, iam ostenditur et exhibetur in Evangelio, exhibetur autem omnibus ad Christum rite per fidem confugientibus sive iudaeis sive ethnicis, quia omnes erant in peccato ac proinde omnes carebant vera gloria apud Deum. Iustificantur autem gratis per Christi Redemptionem, Christus enim est verum propitiatorium omnibus qui ad eum rite accedunt confidentes in eius sanguine.

4. Illumque proposuit Deus ad ostensionem verae iustitiae per remissionem anteactae vitae in peccatis illo vidente et sustinente commissis ad ostensionem inquam divinae iustitiae his temporibus exhibitae per quam Deus manifestat se esse iustum et facit homines iustos si per fidem ad Christum rite accedant. Ubi ergo est iudaica gloriatio? Exclusa est. Per quam ergo legem gloriandum est? Per legem factorum? Non sed per legem fidei. Colligimus enim iustificari peccatores sine legis ceremoniis quia non fit iustificatio per opera sed per fidem, neque iudaeorum solum curam gesit Deus sed omnes iustificat per fidem. Et hoc non est legem Moisis destruere sed potius stabilire et confirmare.

#### *Caput 4. Lectio 1*

### *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem*

1. Nota 11 illud *secundum carnem* a D. Ambrosio<sup>63</sup> et D. Thoma<sup>64</sup> construi cum verbo *invenisse*, sed magis videri cum Augustino et graecis construendum esse cum acusativo *patrem*, de quo late Sotus, Erasmus<sup>65</sup>, Claudius et Adam. Deinde docent quod *invenisse* est hebraeismus, id est consequutum esse, ut ibi *invenisti gratiam apud Deum*, quasi diceret quam gloriam vel quam iustitiam consequutus est Abraham? Cual es aquella su gracia, gloria y justicia, porque si no tiene más que la de las obras, aliqualis erit gloria sed non apud Deum. Vel dicitur invenisse eo modo quo dicitur pater credentium, nam inventor [f.162v] et pater idem sunt in Sacra Scriptura, ut pater canentium etc, neque obstat quod non fuerit Abraham primus iudaeus et fidelis, sat enim est quod eo tempore quo fides et religio erat fere in oblivione adeo ipse emicuit et ita posterioribus praefulgit ut mereretur pater credentium appellari eo quod eos in religione et fide erga Deum quasi suo genuerit admirabili

<sup>63</sup> AMBROSIUS, *Comment in ep ad Rom, c.4,1*. PL 17,86.

<sup>64</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom, c.4*. Vivès 1876, t.20, p.436.

<sup>65</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom, c.4,1*. Lugduni 1705, t.6, col.577.



virtutis exemplo, ait ergo quid est hoc quod *invenit* Abraham, quasi diceret qué arte es esta, qué invento, qué santidad es la que en él tanto resplandece, qué milicia es en la que él va guiando y capitaneando. Dígolo porque si no es más que obras, habet gloriam sed non apud Deum. Si verbum *invenisse* ad circumcisionem referretur sensus erat qué invención fue la suya en circumcidarse, sed non satis cohaeret textus in eo sensu, nisi me iudicem aurium fallit.

2. *Dicit enim Scriptura creditit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam.* Circa illud verbum *reputatum est*, concedendum est grammaticis idem esse verbum in graeco quod decies repetitur in hoc capite et latinius potuisse transferri quod noster interpreas aliquando *reputare*, aliquando *imputare* et aliquando etiam *accepto ferre* transtulit. Sed auctoritati nostrae Vulgatae nihil derogat quod sit quandoque minus latina, imo id non sine divina providentia factum est, de quo alibi, et quando sensus percipitur non est tanti momenti sermonis elegantia.

3. Deinde notandum est haereticos abuti hac imputationis repetitione ad negandam hominibus iustis iustitiae veritatem, et astruendam illam suam inanem fiduciam per quam homo confidit sibi imputari iustitiam Christi quantumvis velit in peccatis iacere. Contra hanc stultitiam non est huius loci disputare sed solum ostendere non esse eum sensum verborum Pauli, quia ea ratione tollitur veritas iustificationis quam multum pluries repetit. Oportet ergo ut utrumque cohaereat scilicet veritas imputationis et veritas iustificationis. Sed dices: quomodo? Quia imputatio supponit non ita esse et nihilominus imputantem gerere se perinde ac si ita esset; ut si antequam res fiat dicas alicui factum puta velut illud Terentii in Andria *dictum puta*. Haced cuenta que lo habeis dicho o tenido por dicho, a saber, aunque no lo habeis dicho. Ergo similiter imputatio iustitiae es hacer cuenta que es justo aunque no lo sea. Respondeo quod imputatio vel reputatio gratiosa non supponit non ita esse post imputationem sed non ita fuisse ante illam, v.gr. Si ego ex liberalitate constituam me debitorem Petro centum aureorum, et illum velim creditorem reputare, antea quidem non eram debitor neque Petrus habebat ius ad munus, sed statim habet ius et pignus fortasse vel ipsos nummos. Sic ergo iustitia quam mihi imputat Deus ego non habebam, sed per imputationem habeo quia ipse eam mihi tribuit; et explicatur magis ex ipsa imputationis ratione quia Deus per illam vult me reputare perinde ac si fuisset iustus quia si fuisset eo ipso habuissem Deum gratum; ergo vult ut sim gratus ipsi sed non possum illi placere nisi ipse infundat gratiam et pulchritudinem animae meae; ergo eo ipso quod imputat iustitiam infundit gratiam per quam sit homo iustus coram ipso. Simili modo dicitur Deus non imputare peccata, sed nota eam phrasim in sensu magis esse affirmativam

quam negativam, est enim non imputare velle reputare ac si non peccassem, scilicet remittendo peccata.

4. Praeterea accedendo ad connexionem nota non bene cohaerere illud *enim* nisi textus quem adducit Paulus ex Genesi valeat ad probandum id quod praecedit, scilicet non iustificari hominem ex operibus sed gratis per fidem. Sed circa hoc sunt aliquae difficultates: prima, licet iustificatio peccatoris non sit ex operibus, tamen certum est iustum, ex operibus amplius iustificari, atque ita Iacobus, 2[21], de eodem *Abraham* ait *ex operibus iustificatum esse quando obtulit filium suum super altare*. Sed in loco quem adducit Paulus non est sermo de iustificatione Abrahae qua factus est de peccatore iustus ergo male argumentatur Apostolus. Ad hoc argumentum respondet Cajetanus<sup>66</sup> negando minorem, et facit Cajetanus Gn 15[6], neque obstat prius actum fuisse de Abrahamo tanquam de amico Dei per aliquot capita et in obedientia quae narratur Gn 12 fuisse vere iustum ut patet ex eodem Paulo ad Heb 11, quia quando dicitur Gn 15 *fidem Abrahae [f.163] fuisse imputatam ad iustitiam* non opus est ut restricte accipiatur de actu fidei quem ibi concepit sed potest latius accipi de fide quam habuit in Deum ex quo primo vocatus est ab illo, atque ita poterit intelligi de prima etiam iustificatione qua ex peccatore factus est iustus. (O decir que si antes había sido justo que por ventura había caído en algún pecado mortal ; sed contra est etc.) Dico tamen frustra in eo laborari quia ex Sacra Scriptura constat illam phrasim usurpari in iustificatione eius qui iam erat iustus; nam de zelo Phinees quo fornicantes necavit dicitur Ps 105[30] *et reputatum est ei ad iustitiam*, et de constantia Abrahae in tentatione dicitur 1 Mac 2[52] *ad iustitiam illi imputatum fuisse*. Multo ergo simplicius est similiter intelligere textum Gn 15 ut intelligit Lipomanus, Dyonisius, Sotus, Adamus, Naclantus, etc, atque ita vis argumenti adhuc est integra (Como vale la consecuencia.) Et confirmatur quia iustificatio pro augmento iustitiae, sicut potest esse ex fide ita etiam ex quolibet actu virtutis, ergo non probat hominem non iustificari v.gr. Per temperantiam ex eo quod Abraham dicitur ex fide iustificatus, vel si valet Sacra Scriptura dicit iustificatum esse ex fide quia non potuit aliter iustificari, similiter valebit Sacra Scriptura ait iustificatum esse Phinees ex zelo etc ergo non potuit aliter iustificari.

5. Altera difficultas in eadem Pauli argumentatione est unde colligat imputationem opponi contra id quod ex debito tribuitur, primum enim eadem phrasim saepe non significat quid aliquis velit ex gratia reputare sed quod ipse putet, id est quod sentiat, quod existimet, ut cum c.3 ait Apostolus *arbi-*

<sup>66</sup> THOMAS a VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom, c.4, v.1*. Lugduni 1639, p.20.

*tramus iustificari hominem per fidem*, graece idem est verbum, et ne longius abeamus, si *beatus est cui non imputavit Dominus peccatum*, ergo miser cui Dominus imputat peccatum; quae tamen imputatio est ex debito; praeterea non aliter videtur dici *imputari ad iustitiam* quoniam sicut hispanice dicimus *tuvosele a prender o a fortaleza*, etc. Praeterea dum fides Abrahae laudatur magis ad rem videtur explicare quae se le tuvo a gran bondad, porque lo fue y no a inconsideración o liviandad. Et ita videntur explicare Doctores in loco illo Gn 15. Tandem consideratis tribus locis supra adductis in quibus reperitur haec phrasis sermo est de actu meritorio cui non correspondet gratiosa imputatio sed iusta Dei existimatio iuxta illud Pauli *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*; imo male iudicaret Deus si fidem et constantiam Abrahae et zelum Phinees non approbaret tanquam actus magnae cuiusdam iustitiae et sanctitatis; ergo haec imputatio fuit ex debito et non ex gratia.

6. Tertia difficultas est quod illa fides Abrahae de qua agitur Gn 15, fuit quidem actus eximiae sanctitatis ut explicat Paulus infra, sed non fuit fides in Christum, de quo vide Adamum; ergo non debebat adduci ad explorandum iustificationis fundamentum, quia iustificatio non nititur quolibet actu fidei sed ea fides quae est in Christo Iesu (ut ipse Paulus ubique docet), id est ea fide qua per Christum credimus nobis Deum esse propitium per eius sanguinem, quare ille actus Abrahae non videtur magis norma iustificationis quam zelus Phinees qui etiam dicitur illi imputatum esse ad iustitiam.

7. Propter haec fortasse nonnulli volunt locum Genesis non adduci nisi ad probandum Abraham fuisse iustum apud Deum, vel non adduci tanquam probationem sed tanquam simile; sed ego certe non video quomodo possit textus cohaerere nisi adducatur ad probandum id quod praecedit, id est non potuisse Abraham iustificari per opera sed per fidem, quae explicatio, ex obiectionum responsione erit certior et evidentior.

Ad primum ergo dico 11, Paulum loqui in communi de iustificatione qua homo est iustus sive id sit per primam iustitiam sive per eius augmentum, et in communi ait iustificationem non esse ex operibus sed ex fide. Et ad auctoritatem Divi Jacobi respondeo Jacobum loqui de operibus christianis quatenus a fide viva procedunt, Paulus vero de operibus exterioribus per se consideratis, nan alter agit contra eos qui otiosa fide contenti erant, alter contra eos qui operibus sine fide nitebantur, quibus ait iustos homines qui praeclaris operibus conspicui sunt non per ipsa opera exteriora iustos esse apud Deum sed per fidem quae illis operibus tribuit animam et vitam. Et praeterea Jacobus loquitur de bonis operibus quae procedunt ex gratia, Paulus vero considerat omnia opera hominis, et quia in multis omnes delinquimus ideo

ait neminem reputari a Deo iustum ex operibus; quod si tu seorsum accipias aliquod bonum opus prout procedit a gratia, hoc non est iustificari ex opere absolute loquendo sed ex suppositione remissionis peccatorum per gratiam.

8. Dico 21: verissimam esse id quod a plerisque doctoribus dicitur, scilicet hominem non iustificari nisi per fidem vivam, si per fidem vivam non intelligas solum eam quae includit vitam gratiae, nam huiusmodi fides non potest adhiberi ad comparandam gratiam, sed per fidem [f.163v] vivam intellige actum quo credimus Deo cum tali attentione et vigore ut ea fides exuscitet in anima debitos affectus. De huiusmodi fide non est dubium quin contineat in se quiddam est ultima dispositio ad primam gratiam ita ut nihil aliud requiratur ex parte peccatoris nisi haec fides. Et si de hac intelligerent haeretici quod aiunt per solam fidem iustificari homines non dissiderent a nobis neque a Paulo, quia illa fides continet in se actum spei, charitatis, penitentiae, timoris, etc.

9. Sed in iustificatione iusti quae fit per actus meritorios oportet examinare an semper sit necessarius actus fidei vivae. Ad hoc dico scire me in materia de gratia reputari probabilem eorum opinionem qui dicunt hominem iustum mereri apud Deum per quosvis actus bonos moraliter, etsi nulla alia ratione referantur ad Deum ut per actus solius temperantiae quae lumine naturali nititur. Verum ego contrariam sententiam quae communior est non solum sequor sed fateor me nescire quomodo non sit expressa divi Pauli qui probat Abraham non fuisse iustificatum per opera sed per fidem, quia Sacra Scriptura dicit iustificatum esse per fidem, sed Sacra Scriptura loquitur de actu meritorio Abrahae ut supra vidimus; ergo in actu etiam meritorio intelligit Paulus non potuisse iustificari nisi per fidem. Unde etiam colligo non satis esse ad meritum ut actus bonus quomodocumque referatur ad Deum, scilicet ut ad auctorem naturae naturaliter cognitum, sed oportet ut saltem virtualiter referatur ad Deum qua ratione cognoscitur per fidem, como suponiendo el contrato que hay entre Dios y los hombres, v.gr. si abstineat quis quia per fidem novit Deum ita praecipere vel consulere volendo credere et obedire Deo. In qua abstinentia vel teperantia totus ille interior actus est actus fidei vivae ut patet ex definitione, atque hac ratione in iustificatione etiam iusti, id est in actu meritotio, cuiuscumque virtutis ille sit, nihil aliud iustificat nisi fides viva, quia si in actu meritorio distinguas actum interiorem et exteriorem exterior non auget meritum interioris quiddam autem est in interiori nomine fidei vivae continetur ut supra patet. Est enim fides viva idem quod interior obedientia, subiectio, fidelitas, etc. (El caso es que como en los actos morales no vale nada la virtud sin prudencia, y cualquier acto de otra virtud lo es también de prudencia, porque es reglado por ella, así para la justicia ante Dios

solo vale el acto nivelado por fe el cual es como acto de fe imperado. Lo que dice a los religiosos obediencia de entendimiento y voluntad).

10. Ad confirmationem, in forma, quando urges quomodo valeat. Sacra Scriptura dicit iustificationem esse ex fide, ergo non potuit aliter iustificari, quia haec collectio deficit in zelo Phinees, ergo non est bona. Respondeo supponi a Paulo eundem esse semper iustificationis modum quoad substantiam, de quo supra, c.3, lect.3. Atque ita, si nihil aliud invenitur nisi fides viva in aliqua iustificatione et maxime in ea quae nobis proponitur ut exemplar, certum erit ex nullo alio posse hominem iustificari, et per consequens zelum Phinees non propter opus exterius sed per fidem fuisse illi imputatum ad iustitiam; illius autem operis fidem vivam fuisse veluti formam et animam nemo negaverit. Et simile est de constantia Abrahae in tentatione et in offerendo filium suum. Atque ita, 1 Mac 2,[52] dicitur *inventus esse fidelis in tentatione et reputatum esse illi ad iustitiam*.

Dubitatur: credere est opus. Quomodo ergo dicit neminem iustificari per opera sed per fidem? Respondet Naclantus quia fides est opus Dei, Jn 6, y que por eso se condistingue contra nuestras obras. Nosti multas alias solutiones, de quibus postea.

11. Ad 2<sup>am</sup> difficultatem diceret quis ideo esse imputationem gratiosam quia cum iustitia complectatur omnes virtutes, gratis putatur iustus ille cuius voluntas pro facto reputatur ante omnium virtutum observationem ex eo solum quia se interius subiiciat Deo et velit ei obedire. Verum haec solutio non satisfacit quia non facit gratiam Deus voluntatem pro facto reputando quod attinet ad iustitiam sed hoc potius pertinet ad rectum Dei iudicium, aliter enim non bene iudicaret. Voluntas autem implendi omnem iustitiam continetur quodammodo in quolibet actu fidei vivae eo modo quo fides omnium articulorum in fide unius si credo quia Deus dicit, nam similiter si v.gr. me subiicio Deo in hoc praecepto eo quod ipse praecipit, ergo omnibus eius praeceptis me subiicio; quod si contendas formaliter non esse actum nisi unius virtutis atque adeo gratis reputari ad integram iustitiam: dicet homo se nolle ut unus actus reputetur ad integram iustitiam gratis sed ut ex debito imputetur illi unus actus iustitiae secundum suum valorem.

Respondet aliter Naclantus que porque no premia Dios ex solo merito rei sed ex liberalitate, scilicet ultra condignum. Sed hoc non est ad rem : non enim est sermo de premio vitae aeternae, etc.

12. Aliter ergo dico et fateor verbum *reputandi* saepe non continere gratiam atque non colligit Paulus ex eo verbo Deum facere gratiam dum reputat,

sed ex eo quod apud Deum imputatur iustitia credenti, quia fides non approximat ad Deum afferendo valorem iustitiae sed ut ita dicam postulando et confidendo in eius benignitate saltem virtualiter. Pro quo suppono quod omnes actus fidei vivae, spei, charitatis, etc, si considerentur in se secundum valorem quem habent per se sumpti sunt quidem actus boni et ita boni ut sint supra [f.164] vires naturae, sed non continent veram iustitiam apud Deum quia non possunt suapte natura peccata praeterita delere neque ab imminentibus tentationibus liberare tribuendo vim ad non peccandum, neque ex eorum valore habet homo ius ad amicitiam cum Deo neque ad vitam aeternam; quare non sunt meritorii per se sed solum prout sunt actus amici; facit ergo omnino verum sit hominem iustum mereri per actus fidei vivae, non tamen verum est mereri ex actu valore si summantur ex se, sed ex eo quod illi actus procedunt ex gratia que les da valor y los sube de punto hasta ponerlos en el justo de 25 quilates, porque la gracia es la piedra filosofal etc. In solutione ergo inter Deum et hominem, loquendo proprie, gratiam confert Deus per se solum, actus vero fidei vivae confert etiam homo unde etiam quando iustus iustificatur adhuc ex parte hominis non confertur valor iustitiae sed dispositio ad illam sicut in prima iustificatione ; atque ita habet locum gratiosa imputatio, quamvis alioqui sit iustum iudicium attendendo ad valorem actus prout est ex gratia. Sed quia loquitur Apostolus de eo quod debet homo praestare et qualiter in eo debeat confidere; ideo ait nullam aliam esse debitam dispositionem ex parte nostra nisi fidem vivam cuius est maxima laus, sed adhuc in ea non consistere perfectam iustitiam, ut ex ipsa fidei ratione constat, imputari tamen a Deo ad iustitiam atque ita per fidem non ex debito sed ex Dei benignitate iustificari homines.

13. Tertiam difficultatem posumus dicere cum Driedone (quem affert Adamus) illum actum fidei quo Abraham credidit Deo dicenti *sic erit semen tuum sicut stellae coeli* fuisse fidem in Christum, quia ut Augustinus ait, illa verba *sic erit semen tuum* non tam ad numerum nepotum quam ad eminentiam et splendorem referuntur eorum qui sunt in fide filii Abrahae, semen ergo tuum ait erit sicut stellae que todas tienen la luz del sol : sic ergo oportet ut iustitiae splendorem omnes a Christo participetis in illo confidentes; quod si ita intellexit Abraham, in Christum credidit quando credidit Deo, Gn 15. Verum non oportet confugere ad hanc explicationem quia, ut supra patet n.4, non est ibi sermo de prima iustitia sed de eius incremento; ad consequentem vero augmentum iustitiae seu gratiae necessarius est actus fidei vivae ut patet n.9. sed non est necessarius actus fidei in Christum, ut fatentur omnes theologo, quare quia modo Paulus non agit determinate de prima iustitia, ideo non debet requirere actum fidei in Christum sed solum ut iustificandus viva

fide credat Deo et iis quae Deus praecipit ; quod autem actu confidat homo in Christum id praecipit Deus in prima iustificatione; atque ita in ea est necessarium et in ea id postulat saepe Paulus ut c.3. Dico ergo in praesenti non transit Paulus a fide qua creditur Deo ad fidem in Christum.

## Lectio 20

*ei autem qui operatur, etc.*

1. Facilis est iam contextus nam prosequitur probando quod Abraham non fuerit iustificatus ex operum valore, non enim esset verum quod ait Sacra Scriptura scilicet fecisse illi Deus gratiam imputando iustitiam quia *ei qui operatur* si tribuatur illi merces ex operis valore non id illi tribuitur ex gratia sed ex debito; nullius ergo momenti est operum iustitia sine fide : fides vero tanti momenti est ut etiam *ei qui non operatur* sive qui nihil boni hactenus est operatus, si fide viva *credit in eum qui iustificat impium* statim illi fides reputatur ad iustitiam. Adiungunt quidam codices *secundum propositum gratiae Dei*, quasi diceret non imputari ex debito seu ex valore ipsius fidei sed ex ordinatione et beneplacito gratiosso Dei qui fidei vivae pulchritudine delectatur et allicitur ut eam imputet ad iustitiam. Secundum hanc constructionem satis constat quomodo non referatur ad supradictam Abrahae iustificationem illa verba *ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium etc.* Non enim credibile est velle Apostolum absque operibus fuisse Abraham usque nunc; quod si dicas sermonem esse de operibus legis, id est de ceremoniis, saltem non est consonum impietatis notare Abraham usque ad illud tempus : quem constat antea fuisse iustum, ad Heb 11.

2. *Sicut et David, etc.* Dixerat impios iustificari per imputationem iustitiae: modo ait esse iuxta mentem Davidis Ps 31, [2,] qui beatitudinem huius vitae dicit esse statum eius cui Deus imputavit iustitiam absque ullo merito, definit enim beatos esse illos quorum remissae sunt iniquitates etc. Hic ponderanda sunt duo quae supponit Paulus, alterum est iustitiam et beatitudinem huius vitae esse idem nam ex eo quod Abraham iustificatus fuit supponit illum fuisse beatum; alterum est propositionem Davidis esse doctrinalem atque adeo universaliter debere intelligi, quasi diceret nullum alium esse beatum nisi cuius remissae sunt, etc. a qua univesalitate scimus excipiendam esse beatam Virginem, sed quod illa sit propositio universalis patet [f.164v] quia alioqui non supponeret Paulus eam beatitudinem competere Abrahamo, dum ait *beatitudo ergo haec, etc* quod non cohaeret nisi omnis beatus et iustus est eo modo beatus et iustus, scilicet per remissionem peccatorum ita ut haec sit prima beatitudo et prima iustificatio, cui ceterae innitantur. Alioqui possemus obiicere Paulo unde colligat eam beatitudinem competere Abra-

hamo, nam Sacra Scriptura dicit quidem Abrahamum fuisse gratis iustificatum per fidem sed non loquitur de remissione peccatorum illius, quia neque loquitur ibi de prima illius iustificatione neque certum est illum comisisse ullum peccatum mortale. Ad hanc obiectionem non potest aliter responderi nisi dicendo quod eo ipso quod ponitur Abraham iustus certum est quod primam iustificationem illi competere, prima autem iustitia nulli convenit nisi per remissionem peccati. Unde hic locus meo iudicio evidenter ostendit omnes homines nasci in peccato originali, secus enim non esset verum id quod Paulus assumit ex Psalmo, scilicet neminem esse beatum nisi per remissionem peccati, quia si puer quando pervenit ad usum rationis convertatur ad Deum (ut fortasse fecit Abraham) certum est quod per fidem iustificabitur atque adeo erit beatus et tamen nullum peccatum actuale comisit; ergo male colligeret Paulus ex eo quod Abraham fuit iustus eam beatitudinem Psalmi inventam fuisse in illo.

3. Sed dubitatur quid sibi velit illa distinctio vel repetitio quam facit David inter *iniquitates remissae* et *peccata* in plurali *tecta* et *peccatum* in singulari *non imputatum*. Circa hoc varie philosophant interpretaetes. Origenes<sup>67</sup> enim initium, progressum et perfectionem iustitiae his tribus quasi gradibus intelligit contineri, ita ut initium sit remissio delictorum anteactae vitae, progressus vero quando abundanter numerus bonorum operum tegit et superat numerus peccatorum, perfectio vero cum amputatis iam omnino peccatorum radicibus ita homo vivit ut iam nullum ei Dominus possit imputare peccatum quia neque vestigia malitiae in eo invenitur. Huic expositioni e regione opponitur illa quam Grandis tribuit Gregorio Nazianceno; quia Origenes paulatin ascendit, Naziancenus vero gradatim descendit ita ut primo dicatur beatus ille cuius iniquitates remissae sunt omnino, scilicet quoad culpam et quoad poenam, ut in baptismo, et secundo loco connumeretur ille cui condonata sunt peccata per Dei misericordiam ita tamen ut aliquid maneat luendum et quasi tegendum per poenitentiam, et ultimo tandem aliqua etiam ratione felix dicatur ille cuius opera quamvis non sunt bona et grata Deo saltem non sunt mala neque possunt ad peccatum imputari. Cum hoc commentario facit quodammodo Ambrosiaster<sup>68</sup>. Sed neutra explicatio est solida neque ad mentem Apostoli, tum quia illae ultimae beatitudines quas ponunt illa origenica non contingit in hac vita, et gregoriana non est vere beatitudo si concedatur esse possibilis, et saltem neutra est ad rem quia neutra explicat id quod Paulus confirmat, nempe iustificari impium sine operibus: propterea etiam non quadrat ut tegere sit bonis operibus mala anteacta veluti operire.

<sup>67</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom*, l.4. PG 14,965.

<sup>68</sup> AMBROSIASTER, *Comment in ep ad Rom*, 4,7s. PL 17,87.



4. Praeterea textus omnino postulat ut *remissio, tectio et non imputatio* eundem sensum contineant et ita sine dubio acceperunt Chrysostomus<sup>69</sup>, Theophylactus, Oecumenius<sup>70</sup>, Augustinus et omnes fere recentiores, Janse-  
nius, Titelmanus etc, nisi quod me magis in id inclinat S.Thomas<sup>71</sup> nomine iniquitatum solum intelligit originale, et nomine peccatorum actualia mortalia et *non imputatur peccatum* explicat de veniali ex quorundam locorum accommodatione. Melius sane quam Naclantus qui per iniquitates mortalia, per peccata tecta venialia, et per peccatum fomitem intelligit, in qua explicatione bis peccat: 11, quod male explicat illud Prov 10 *universa delicta operit charitas* ad remissionem venialium eius qui est in charitate, et deinde quod vult per peccatum intelligere fomitem cum sermo sit ... de gratia quam facit Deus non imputando peccatum, quasi posset imputare fomitem. Aliquantulo aptius Catarinus *iniquitates et peccata* refert in communi ad actualia, *peccatum* vero in singulari ad originale quod appellatur peccatum mundi Jn 1. Sed omnes istae distinctiones videntur coactae, quia non est Apostolo sigillatim sermo de peccato originali sed in communi de iustificatione impii atque adeo, sicut mentio de venialibus non est ad rem ita etiam non oportuit distinguere peccatum originale ab actualibus, maxime cum dicat *beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, vir autem numquam iustificatur per solius originalis remissionem. Et adverte quod nulla facta speciali mentione peccati originalis, evidenter assero illud si dicam neminem esse iustum qui non fuerit impius.

5. Praeterea ex ipso Paulo videtur constare non connumerari in eo loco a propheta duas vel tres beatitudines deversas sed unicam, quia statim ait Apostolus *beatitudo ergo haec* dicturus alioqui *beatitudines* ergo istam etc. est ergo repetitio et expolitio eiusdem sententiae et fortasse in plurali posuit [f.165] David iniquitates et peccata quando dixerat in plurali beati, in singulari vero *peccatum* quando dixit *beatus vir* ita ut singulis semper correspondeat iniquitas vel peccatum in singulari, non tamen singulariter acceptum sed vage, quasi diceret beatus cui Dominus remisit peccatum quod habebat, sive id sit unicum sive multiplex; vel primo posuit iniquitates et peccata in plurali pro iis qui pluribus erant obnoxii, et postea in singulari pro iis qui solum fortasse subiacebant unico laetali, sive actuali sive originali, nam de venialibus agere erat omnino impertinens meo iudicio.

6. Triplici ergo ratione id ipsum significat Propheta, nimirum neminem esse in hac vita beatum nisi cui Deus faciat gratiam remissionis et ex iniusto

<sup>69</sup> J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom, hom 7*. PG 60,444s.

<sup>70</sup> OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom 4,8*. PG 118,394.

<sup>71</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom, c.4*. Ed Vivès 1876, t.20, p.438.

faciat iustum; sed ea repetitione ostendit nobis affectum suum vehementem, et rei veritatem certissimam. Et praeterea in eiusdem sententiae expositione (ut notant ex D. Thoma<sup>72</sup> Cajetanus<sup>73</sup> et Sotus) tangit tria quae continentur in peccati condonatione, nam offensa Dei remittitur et consequenter turpitudine peccati tegitur et reatus poenae aeternae aboletur, aufertur, dum peccatum ad eam nom imputatur.

7. Duo hic nobis obiiciunt nostri temporis haeretici alterum est peccatum non deleri sed tegi proprie loquendo atque ita hominem cui peccata remittuntur adhuc manere in peccatis sed illi non imputari; alterum est post remissionem vanam esse poenitentiam seu satisfactionem quia iam peccatum non imputatur, ergo neque poena temporalis exigenda est neque in hac vita neque in purgatorio. Contra utrumque errorem innumera sunt quae adduci possunt ex Sacra Scriptura et ex sanctis doctoribus, sed meum non est in praesenti nisi liberare ab ea calumnia verba Pauli.

8. Sed dices: quomodo tegitur id quod aufertur? Respondeo 11 non auferri quod homo peccaverit quia ad praeteritum non est potentia, sed eam turpitudinem tegi Dei gratia ita ut pudendi flagitii... evidentia v.gr. in die iudicii nullam pariat infamiam vel confusionem, quod est mirabile pallium. Respondeo 21 ex Augustino, peccata dici tegi respectu oculorum Dei, non ut non videat me peccasse sed ut non videat ad prosequendum me odio et puniendum, iuxta illud *averte faciem tuam a peccatis meis*, et tamen non potest Deus non videre peccatum quod admiserat propheta. Simile est id Ezech 18, *omnium iniquitatum non recordabor*. (Una cosa fea cubierta con un cristal muy hermoso vese pero no se ve de manera que ofenda, etc.

9. Deinde propius accedendo, de actu peccati non potest esse quaestio an auferatur, nam ipse actus non manet; id vero quod est *peccasse* numquam aufertur; solum ergo potest esse quaestio de peccato habituali quod quomodo possit manere post remissionem, neque fingere possunt haeretici, ergo neque concipiunt animo quid dicant, neque enim peccatum habituale est physica macula sed solum illa denominatio per quam dicor inimicus Dei (peccator et inimicus Dei idem sunt) sed ille non potest me simul odisse et amare, ergo etc. Probatur minor, quia charitas qua amat operit multitudinem peccatorum ut non videat ad odiendum hominem. Sunt etiam qui dicant quod tegere peccatum ita ut Deus non videat id est penitus auferre, quia si non auferatur videbit: quia nihil potest eius oculos latere, et est similis illa phrasis illi qua solent concionatores permittere ut peccemus ita tamen ut Deus non videat.

<sup>72</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom*, c.4. Ed Vivès 1876, t.20, p.438.

<sup>73</sup> THOMAS a VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom*, c.4, v.7s. Lugduni 1639, p.21.

Et facit quod sequitur *nec inventus est dolus etc.*, quamvis aliter ibi Jansenius et interpretes. (Tu explica de conversión no fingida.)

10. Quod vero ille qui non imputat peccatum sed remittit possit nihilominus exigere temporalem quandam satisfactionem quotidie experimur in iis remissionibus quibus adiungitur aliqua obligatio per modum conditionis. Como suele el rey perdonar la injuria que se le hizo a él et per consequens poenam capitis con condición que el perdonado esté un año desterrado. Ut est illud Davidis *faciem meam non videat etc.*

### Lectio 30

#### *Beatitudo ergo haec in circumcissione, etc.*

1. Interogatur an ea beatitudo remissionis peccatorum solum cadat in circumcisos vel etiam in praeputiatos, an solum concedatur illis vel etiam istis? Et probat concedi gentibus non circumcisis, quia constat ex Sacra Scriptura Abrahamo fuisse imputatam iustitiam ante circumcissionem et postea accepisse circumcissionis insigne pro signaculo eius iustitiae quam habuerat praeputiatum pr fide; ut vel hinc constet eum esse patrem id est duces et antesignanum eorum omnium praeputiatorum qui ita credunt sicut ille credidit et non esse eo modo patrem carnalium iudaeorum sed eorum omnium qui eius vestigiis insistent in fide. Circa nomen *patris* in hoc sensu vide c.4, lect.1, n.1.

2. Circa illa verba *et signum accepit circumcissionis*, nota circumcissionem appellari signum circumcissionis. Ganeius signum circumcissionis, signum spiritualis circumcissionis, quasi diceret carnalem illam non esse circumcissionem, ea phrasi qua prudentia dicitur virtus prudentiae. Et in nomine signi respicit Paulus ad verba Gn 17 [11] *ut sit signum foederis inter me et vos*. La banda de la liga, nam foedus es liga y confederación, quod importat amicitiam cum Deo atque adeo veram [f.165v] iustitiam, et si haec deficiat erit signum mendax, unde eodem textu nititur Paulus dum explicat circumcissionem fuisse signaculum iustitiae Abrahae; signaculum vero graece est σφραγίς significat autem notam aliquam impressam, como el sello en la carta o el hierro en las reses o la almagra. Significat etiam palam annulo quo sigillare solent nobiles; atque ita habere sfragidem est periphrasis nobilitatis in graeco. Dubitatur ergo quomodo accipiatur signaculum in praesenti. Origenes<sup>74</sup> respiciendo ad sigillum epistolae explicat iustitiam fidei obsignatam et clausam fuisse ad tempus quousque Christus adveniret; simplicius tamen est et accommodatius ad contextum si dicamus cum Theophylacto et plerisque, per *signaculum iustitiae* significari eam notam inustam fuisse Abrahamo ad

<sup>74</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom*, l.4. PG 14,968.

eius fidem et iustitiam testificandam, que le... Dios su sello o su hierro, etc; quod si obiicias quomodo circumcisio non id vere testificaretur in singulis si in Abrahamo erat sigillum Dei cui non potest subesse falsum. Respondeo que en la armas o sello que da el rey a uno testifica el valor de su persona, pero en querer que las use su linaje no testifica que le imitan, sino avísales de lo que deben imitar... (Era señal de que era pueblo de Dios. *Et beatus populus cuius Dominus Deus eius*. Sed beatus et iustus pro eodem sumit Paulus.)

3. Petebat hic locus ut ostenderemus quam apposite significaret circumcisio fidem et iustitiam Abrahae, nam proportio cum praeclare gestis maxime commendat in *signaculo* vel sigillo, neque magnis misteriis potuit vacare illud tam singulare Dei inventum. Sed hoc petit integrum tractatum et multa sunt ea de re a sacris doctoribus notata. Vide tu ea quae colligit Sotus hic. (Una empresa o divisa mientras más simple en corteja y más llena de misterio tanto mejor. Nosti illud *ne impleat orbem*.)

4. Nota ex hoc loco quosdam contendere contra receptam sententiam pueros hebraeorum nunquam fuisse iustificatos per circumcisionem, quia Paulus eam facit *signaculum solum iustitiae*, non vero iustificationis medium. Alii vero contra, in nomine signaculi intelligunt inter alia signari remissionem quae per illam tunc concedebatur. Utrumque vero meo iudicio est omnino praeter Pauli intentionem hic, quia non agit de circumcissione tanquam de fidei applicatione qua ratione per illam pueri iustificabantur ante legem evangelicam sed agit de circumcissione materialiter sumpta prout erat professio legis antiquae vel prout erat exterior quaedam virtus et ceremonia. Et patet hoc quia circumcisionem inter opera constingit contra fidem, quare non aliter negat iustificari potuisse aliquem per circumcisionem quam eo modo quo dixit ex operibus neminem posse iustificari, sive ex valore illius prout est legis observatio praecisa fide. An vero ei qui per fidem recipiebat eam ceremoniam, ipsa prout instrumentum est Dei tribueret iustitiam non video quomodo neget Paulus in praesenti; et confirmatur, quia non negat virtutem sacramentorum et tamen in universum ait eum qui ex operibus iustificatur non habere gloriam apud Deum. Norunt autem etiam haeretici nos non confidere in sacramentis secundum valorem quem habent ex nostra observatione: atque adeo hanc sacramentorum doctrinam non adversari huic loco Pauli; ergo similiter non negat virtutem circumcisionis prout erat instrumentum Dei vel prout animata per fidem, etc.

5. Quod vero non tribuat illi talem vim dum eam appellat *signaculum iustitiae* patet quia loquitur de circumcissione in Abrahamo, et ait datam esse illi tanquam signaculum eius iustitiae quam habuerat praeputiatus, sed ea iustitia non est illi data per circumcisionem, ergo nomine *signaculi* non inte-

llicit Paulus signari iustitiam quam dabat. Ex his patet eam questionem nullo modo esse ad mentem Pauli in praesenti. Quod si velis videre quid in ea sentiant doctores vide Adamum et Sotum hic, et Doctores 4, d.1, ubi Magister<sup>75</sup>.

6. Praeterea nota *signaculi* vel sigilli nomen posse accipi secundum id quod praesupponit atque significat. Ut si notes quid significet catena in sigillo vel scuto in sternatibus. Et hoc modo accipitur nomen signaculi a Paulo. Alio modo posset accipi sigillum vel signaculum secundum sigillandi virtutem, qua ratione signaculum iustitiae esset id quod habet virtutem sigillandi et veluti imprimendi iustitiam, apta certe nostrorum sacramentorum periphrasis, et circumcisionis etiam si fuit eo modo sacramentum. Sed nihilominus in praesenti ad mentem Apostoli quando ait *signaculum iustitiae fidei* quae est in praepotio Abrahae, id est quam habuit praepotiatum, nam illud *est* ponitur pro *erat* vel *fuit*, quod subintelligitur in graeco. **[f.166]**

7. *et sit pater circumcisionis*, id est circumcisorum, etc. Nota verba Apostoli dupliciter solere intelligi. 11, ut significet Abraham esse etiam patrem iudaeorum, eorum tamen qui non solum sint ex circumcisione sive ex eius generatione sed etiam sectentur vestigia fidei ipsius. 21, ut significet Abraham esse etiam patrem iudaorum, non tamen solum illorum sed eorum etiam omnium qui eius fidem imitantur, quod est repetere verba praecedentia. Hunc sensum videtur noster interpretes sequutus et latini communiter, sed graecis doctoribus et codicibus et contextui magis quadrat primus: de quo late Erasmus in notationibus et ad Titelmanum. Non tamen est quod vellicet nostrum interpretaem, 11 quia fortasse noster interpretes aliter hic legit graeca; 21 quia fortasse posuit *non iis tamen qui* pro *iis qui non tamen*, is enim qui non est admodum latine peritus duriuscule commutat aliquando verborum ordinem, quod tamen non indicat illum aliter sentire; qua ratione nostra lectio admittit primum sensum. Et multa huiusmodi devoranda sunt. 31, fortasse hanc duritiem quam ea ratione invenimus in latino existimavit noster interpretes eam subesse in graeco in verbis Pauli, et negationem quam posuit post articulum in sensu esse antepotendam maxime cum primus sensus in graeco non careat scrupulo, ut patet intelligenti. Dico praeterea constare de mente Pauli sive hoc sive alio modo dixerit, nam ex utraque explicatione nihil aliud colligimus nisi honorificum illud nomen filii Abrahae non ex carnali generatione et circumcisione sed fidei imitatione contineri.

8. Tandem dico commodius fortasse posse nostram lecturam explicari in alio sensu, quem subindicat Chrysostomus<sup>76</sup>, ut Abraham dicatur esse pater

<sup>75</sup> PETRUS LOMBARDUS, *Liber 4 sentent. .1, c.4.* Ad clars aquas 1916, t.2 p.747.

<sup>76</sup> J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom, hom 8.* PG 60,457s.

spiritualis circumcisionis omnibus qui eius fidem imitantur iuxta finem capituli secundi. Quod est dicere omnes qui rite credunt iam esse circumcisionis laudem consequutos; et in ea iam esse filios Abrahae. Quod probat Paulus ex eo quod circumcisio fuit signaculum fidei quam prius habuerat; universa vero laus et anima signaculi consistit in re significata, y nadie precia más las armas de lo que estima lo que ellas significan, y si soy hijo de fulano en sustancia ya tengo las armas aunque no las traiga en el sello, y aunque nunca la haya de traer, como si por otra vía heredé un mayorazgo que me prohíbe otras armas. Ad christianos ergo pertinet honor circumcisionis licet eis prohibearur circumcisio.

9. *Non enim per legem promissio Abrahae.* Illud *enim* ostendit Apostolum velle probare id quod dixerat, nempe homines esse filios Abrahae per fidem et non per professionem antiquae legis. Haec autem probatio solet varie admodum explicari sed omissis variis opinionibus quas poteris in expositoribus videre, attendendo ad contextum, ratio Pauli meo iudicio huiusmodi est sive loquamur de Abraham sive de eius filiis non correspondet promissio Dei iustitiae legis sed iustitiae per fidem comparatae, id est non consequuntur promissa Dei per legis observationem sed per iustitiam fidei. Ergo quod in Abrahamo placuit Deo et quod imitari debent qui volunt esse filii Abrahae non est niti lege sed niti fide. Ratiocinatio legitima est si probatur antecedens, ut probatur infra ab Apostolo. Sed oportet prius quibusdam scrupulis satisfacere. Primum est quod haec argumentatio supponit filiationem Abrahae non consistere in origine, que es en ser del linaje de Abraham, sed in eius imitatione, et hoc videtur esse confugere ad sensum analogicum relicto literali. Respondeo id non esse mysticum sed literale, adeo ut neque iudaei id ullo modo ambigerent, quia honorem illum quem sibi assumebant illi qui dixerunt Christo *pater noster Abraham est* Jn 8, proculdubio non communicabant idumaeis, qui tamen erant ex origine Abrahae. Et praeterea licebat etia iuxta legis corticem ut alienigenae ad iungerentur populo Dei suscepta prius circumcissione, et illi iisdem postea privilegiis fruebantur et inter filios Abrahae computabantur. Ergo etiam apud iudaeos perinde est esse filium Abrahae ac esse ex populo Dei, sive originem quis ducat ab illo sive non. Nam [f.166v] licet sumptum fuerit nomen ab origine qui maiori ex parte illi populo communis erat, in rigore tamen non satis erat neque requirebatur origo, sed solum designabat id nomen Abrahamum, fuisse veluti primum institutorem et fundatorem illius religionis, eo fere modo quo franciscani et dominicani suos appellant patres; constabat ergo quod esse filium Abrahae consistebat in professione eius religionis quam ille fundavit et per quam Deo placuit et eius promissionem audivit. Sed quae esset ea religio id docet

Paulus contra errorem iudaeorum probans eam esse religionem fidei et non carnalem circumcisionem; ut si doceres aliquem superstitiosum non consistere religionem in cuculla, que el hábito no hace al monje, atque ita posse manere eandem religionis substantiam aunque les muden el hábito y todavía quedarían dominicos etc. (No trata S. Pablo de si estarían o no estarían los judíos obligados a guardar sus ceremonias sino que no consistía en ellas el ser hijo de Abrahan; y así también sería hijo de Santo Domingo el que imitase sus virtudes y votos etc, aunque no fuese fraile.

11. Praeterea dubitatur quomodo transeat Paulus a circumcissione ad legem ut probet in quo consistat esse filium Abrahae. Nam 11, circumcisio fuit prior lege unde non valet, non consistit in lege; ergo nec in circumcissione. Praeterea si filiatio consistit in imitatione certum erit non consistere in lege in qua non poterant illum imitari, (quia fuit ipse ante legem,); in circumcissione vero plane illum imitabantur, ergo non bene argumentatur Paulus. Respondeo nomen legis non debere accipi stricte pro iis praeceptis quae addidit Moises, sed accipi lex pro illa religione quae praescribit circumcisionem et cultum illum exteriorem sacrificiorum etc. ad colendum Deum una cum Decalogo. Et hoc modo eadem fuit lex Abrahae et iudaeorum quamvis ea post Abraham fuerit novis constitutionibus aucta et explicata, non tamen mutata. Sic etiam accipitur apud nos legis nomen dum de ignoto homine rogamus cuius legis sit, scilicet an sit christianus vel iudaeus vel saracenus. Accepto ergo nomine legis pro religione; idem est dicere non consistere filiationem Abrahae in circumcissione et non consistere in illa lege, quia circumcisio erat veluti profesio illius legis, iuxta id Pauli *testificor omni homini circumcidenti se quod debitor est universae legis.*

12. Dubitatur ultimo quae *promissio* sit illa *Abrahae aut eius semini facta ut haeres esset mundi* : sic enim ait Paulus. Respondeo id a multis explicari in persona Christi, et quando ait Apostolus *Abrahae aut semini eius* intelligunt quasi diceret Abrahae aut potius semini eius, quia soli Christo competit esse haeredem mundi quia illum tantum *constituit Pater haeredem universorum*, ad Hebr 1, et illi solum dictum est *dabo tibi gentes haereditatem tuam etc Ps 2*. Quod si dicas nullibi legi factam promissionem Abrahae sub his verbis *Ain semine tuo eris haeres mundi*@. Respondunt eundem esse sensum illorum verborum *in semine tuo benedicentur omnes gentes*. Porque para ser universal benefactor del lineje humano era menester que fuese Señor universal de todos los bienes. Sed in primis hoc est longe petitum; deinde non video quomodo cohaereat haec explicatio : primo, quia non propie dicitur Christum per fidem consequutum fuisse haereditatem mundi. Et 21 quia in ratione quam reddit Paulus huius dicti ostendit se non loqui sigillatim de Christo,

sed potius de caeteris hominibus, nam subdit haec verba *si enim qui ex lege haeredes sunt exinanita est fides* et statim *lex enim iram operatur etc*, quod, nulla ratione pertinet ad Christum. Si autem velit probare Christum non consequutum fuisse haereditatem per legem sed per fidem, quia caeteris lex iram operatur, non video quae probatio sit haec, nec quorsum posit spectare.

13. Praeterea non quadrat ut Apostolus hic velit dicere ex fide Abrahae et Patriarcharum dependisse ut haberet pro filio Messiam haerodem universorum, quia omnino loquitur Paulus de promissione quam non consequuntur ii qui nituntur lege sed solum ii qui nituntur fide, ut patet ex illis verbis *abolita est promissio etc*, sed multi sine fide viva fuerunt progenitores Christi, ergo istud non est ad rem; dico ergo quod esse haerodem mundi in praesenti est idem quod *possidere terram* quod promittitur *mitibus* nam graece est haereditabunt terram; et sensus literalis est de beatitudine, ut ex Hieronymo et Augustino explicat Jansenius<sup>77</sup> c.39, et haec est benedictio quae per Christum promissa est Abrahae et filiis eius in illis verbis in semine tuo benedicentur omnes gentes, id est omnes qui te imitari voluerint. Cur autem beati dicantur esse cum Christo domini rerum omnium tanquam haeredes et cohaeredes Christi, vide Jansenium supra. Facit illud *omnia vestra, vos autem Christi etc*. Promissio autem facta fuerat Abrahae non solum in illis verbis *in semine tuo benedicentur omnes* sed etiam in illis *sic erit semen tuum sicut stellae coeli*, (de quo c.4, lectio 1, fine) et spiritualiter in illis verbis *semini tuo dabo terram hanc*.

(Cur haereditare sit idem quod possidere et aliquid amplius..) (Si possidere terram dicuntur propter firmitatem, etc) (*Mundus* etiam accipitur pro universa terra.) (Y todo lo tiene el que es bienaventurado. Et facit *mundi* etimologia, pro ornatu, decor, etc). [f.167]

14. ***Si enim qui ex lege haeredes***. Optime haec Adamus contra Luterum ex Augustino, cuius constrctionem sequar postea. Deinde cum ait ideo ex fide lege *ut secundum gratiam, ut firma sit promissio*: nam utrumque *ut* reperitur in ms et in graeco et utrumque habet vim. Denique quae sequuntur usque ad finem capitis plana sunt et optime Adamus et multi. Mihi satis erit construere.

A la duda si habebat corpus emortuum cómo tuvo después hijos? Respondeo que el que le dio virtud para engendrar entonces se la dio tal que pudo después, etc, nisi placeat explicatio Augustini et Erasmi<sup>78</sup>. Sed illa magis placet Divo Thomae<sup>79</sup> et Adamo.

<sup>77</sup> C. JANSSENS, *In suan Concordiam*, c.39. Lugduni 1580, p.259.

<sup>78</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom*, c.4,14. Lugduni 1705, t.6, col.580.

<sup>79</sup> THOMAS AQ., *In ep ad Rom*, c.4. Ed Vivès 1876, t.20, p.440.



*Costructio Capitis 4*

1. Igitur ut probem nullam esse iustitiam nisi per fidem interrogo quae sit illa religio sive iustitiae ratio quam Abraham instituit atque fundavit, quem alium iustificationis modum invenerit nisi per fidem? Certe, nullum : quia ex operum valore comparatur iustitiae laus apud homines non vero apud Deum. Probat hoc ex Genesi ubi dicitur Abraham credidisse Deo, et hanc fidem fuisse illi imputatam ad iustitiam, ubi vides iustitiam gratis tribui ei qui se disponit per fidem vivam.

2. Ei autem qui operatur tribuitur illi merces ex operum valore, non id illi tribuitur ex gratia sed ex debito, ergo iustitia non correspondet valori operum atque adeo nullius momenti sunt opera sine fide ; fides vero tanti momenti est ut etiam ei qui non est bene operatus, si fide viva credat in eum qui iustificat impium, statim illi fides imputetur ad iustitiam iuxta Davidem collocantem beatitudinem huius vitae in statu eius cui Deus imputavit iustitiam absque ullo merito, definit enim *beatos esse quorum remissae sunt iniquitates etc.*

3. Igitur haec beatitudo solumne conceditur circumcisis vel etiam praeputiatis? Certe incircumcisis etiam conceditur quia ex Sacra Scriptura constat Abrahamo fuisse imputatam iustitiam ante circumcisionem et postea accepisse circumcisionem, in signo pro signaculo eius iustitiae quam per fidem habuerat praeputiatus, ut vel hinc constet religionem illam quam fundavit et instituit Abraham et per quam Deo placuit, non consistere in circumcissione et exteriorum illorum rituum professione, sed in fide, atque adeo illum esse patrem non circumcisorum sed fidelium sive sint ex circumcissione sive ex praeputio; nam sive loquamur de Abrahamo sive de eius filiis magna illa promissio Dei quae illos facit haeredes terrae viventium, non correspondet iustitiae illius legis quam colunt iudaei sed iustitiae fidei; si enim ex lege haereditas cerneretur, nec ulla esset laus fidei neque unquam promissio impleretur, lex enim non solum non facit hominem dignum promissione sed potius reddit obnoxium irae Dei dum iubendo et non adiuvando vel auget concupiscentiam per quam fit transgressio vel saltem reddit peccatorem inexcusabilem. Quare melius providit Deus iustificando homines ex fide, ut iustificatio sit ex gratia Dei et non ex nobis; ideo autem secundum gratiam ad hoc ut promissio sit firma, nam si res penderet ex iustitia, ut scilicet redderetur operibus nostris et non ex gratia Dei, promissio nullam haberet firmitatem ob defectum nostrorum operum, cum autem sit ex fide, omnes qui voluerint esse filii Abrahae certissime cernent haereditatem non solum iudaei sed etiam ii qui nihil habuerint commune cum illo nisi fidem, nam coram Deo, qui fidem interioris hominis intuetur, per fidem constitutus est

omnium pater; coram Deo inquam cui tu, o romane credidisti, qui vivificat non viventia et *ex lapidibus suscitavit filios Abrahae* sicut illi invalido tribuit vigorem ad gradiendum, et *vocat ea quae non sunt*, id est homines nullius praetii quales sunt gentes vocat filios Abrahae sicut eos qui sunt ab illo propagati. Huic Deo Abraham credidit vel credidit adeo excellenti fide ut mereretur fieri pater multarum gentium, ut scribitur in Gn, nam *contra spem credidit* etc, promittenti se fore patrem multarum gentium secundum illud sic erit semen tuum, fuitque eius fides illustrissima nam contra spem naturae credidit in spem divinae promissionis non attendendo ad corpus suum prae senio iam ad generandum invalidum neque ad matricem Sarae esse tam sterilem; neque haesitavit sed invaluit fide plenissime et certissime persuasus Deum esse omnipotentem. Ideo reputata est illi ad iustitiam, quod non solum propter eius laudem scribitur ut eius nomen celebretur sed etiam propter nos, ut habeamus formam et exemplar iustificationis credendo in eum qui suscitavit Dominum nostrum Iesum Christum qui mortuus est pro nostris peccatis et resurrexit, ut exhiberet nobis formam resurgendi ad novitatem vitae vel ut sua resurrectione nos ad fidem adduceret et per eam ad iustitiam. [f.167v]

**Caput 5. Lectio 10.**  
***Iustificati ergo ex fide***

1. Planus erat sensus legendo *habemus*, ut modo habent graeca et quidam moderni, sed communis lectio est ***pacem habeamus ad Deum***, atque ita hortatorie explicant non solum omnes antiqui latini sed etiam Origenes<sup>80</sup>, Chrysostomus<sup>81</sup>, Theodoretus<sup>82</sup>, Theophylactus<sup>83</sup> et Chrysologus, ut notant Franciscus Lucas et concordant Ms, atque ita omnino legendum est *habeamus*. Id autem quidam intelligunt de non timenda pueriliter damnatione, ut Adamus ex similibus locis Sacrae Scripturae, nam etsi beatus vir qui semper est pavidus contra stultam luteranorum securitatem, tamen ii qui Dei bonitatem sunt experti laudabiliter quotidie magis confidunt in eo et timoris nimietatem refrenant. Pro hac explicatione facit ratio Pauli postea ubi ait *multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira* etc, quod videtur dici ad augendam confidentiam et pellendum nimium timorem inferni qui aliquos bonos christianos cruciat. Nihilominus dico id non videri ad mentem Pauli cum ait *pacem habeamus*, quia non cohaeret ut ii qui gloriantur in spe gloriae et, quod amplius est, in ipsis tribulationibus, admoneantur de pellendo nimio timore, et verba Pauli sunt *habeamus pacem per Christum, per quem gloriamur* etc.

<sup>80</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.4.* PG 14,988.

<sup>81</sup> CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom 9.* PG 60,467.

<sup>82</sup> THEODORETUS, *Interpretatio ep ad Rom, 5,1.* PG 82,95.

<sup>83</sup> THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom, 5,1.* PG 124,399.

2. Proinde magis quadrat explicatio Theophilacti *habeamus pacem*, id est perseveremus in Dei amicitia et numquam committamus ut ab illa cadamus, nam iis etiam qui gloriantur in tribulationibus providendum est ne cadant iuxta illud *qui stat videat ne cadat*; imo id optime cohaeret per modum rationis quasi diceret caveamus ne unquam decidamus a statu gratiae quandoquidem per illa adeo sumus divites ut gloriemur in spe gloriae et in ipsis etiam tribulationibus. No perdamos tan gran bien etc. Et fortasse illud *per Christum* est obsecrantis, quasi diceret obsecro per Christum. Quod si obiicias quorsum exordiat ab ea exhortatione in hoc capite in quo non intendit hortari sed docere et amplificare iustificationis fructus. Respondeo id optime congruere ei qui acturus est de magnitudine boni quod est adeptus. Sicut religiosus qui inter religiosos acturus est de bono religionis aptissime et affectuosissime sic inciperet: plega a Dios que nunca perdamos tan gran bien como tenemuos. Et fortasse illud *habeamus* est optantis, quasi diceret utinam semper habeamus, vel congratulantis quasi diceret norabuena de esta paz y contento que por Cristo hemos ganado que es tal que con la tribulación crece, vel hortantis (ut dicebamus) quasi diceret habiendo alcanzado tan gran tesoro guardémosle por JesuCristo etc.

3. Deinde contextus optime a plerisque explicatur, et illa gradatio cuius eloquentiam admiratur Augustinus, 4 de doctrina christiana, c.7<sup>84</sup>, *tribulatio patientiam operatur*, que cría paciencia, sicut dicere solemus que la guerra cría soldados valientes, *patientia autem probationem*, id est virtutis probatae experientiam, patientia enim praebet experientiam virium iustitiae seu gratiae; haec autem experientia auget spem vitae aeternae, quod optime perpendunt interpretes. Sed dices: non in omnibus iustificatis adeo colucere splendorem iustitiae ut gloriantur in tribulationibus et per eas corroborentur in spe gloriae. Respondeo satis esse ut id in provectoribus verificetur, in quibus Christi iustitia suas vires exerit. Sicut si in communi laudarem religiosos et dicerem eos esse Christi imitatores etc, non spectarem infirmiorum actiones sed quid religio valeat et in perfectioribus exhibeat, praeterquam quod Apostolus respiciebat primitivos christianos in quibus plures erant viri apostolici.

4. *Spes autem non confundit*. Sensus est que no deja después burlados esta esperanza a los justos, sino que sin falta les dará Dios el Cielo y los medios necesarios (scilicet nisi sua culpa cadant a iustitia) et reddit rationem, scilicet *quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*. Ambrosiaster<sup>85</sup> explicat de dilectione qua nos Deus diligit, nec displicet Adamo quia sequitur *Deum commendare suam caritatem in nobis*, neque satis probatur id

<sup>84</sup> AUGUSTINUS, *De doctrina christiana*, l.4, c.7. PL 34, 93.

<sup>85</sup> AMBROSIASER, *Comment in ep ad Rom*, 5,5. PL 17,94.

esse coactum ex illo verbo *diffusa est*, ut bene Sotus, quia Deus dicitur suam diffundere bonitatem id est ostendere et communicare. Dico tamen etiam in eo modo loquendi evidenter constare ex ipso textu eam ostensionem seu diffusionem dilectionis qua Deus diligit iustos referri ad effectum quem in eorum cordibus operatur per Spiritus Sancti donationem. Unde quod sequitur *Deum commendare suam caritatem* non pertinet ad probandam eam caritatis diffusionem, quia diffusio est in cordibus et illa commendatio est in ipsa Christi passione. Imo probat diffundi in nostris cordibus dilectionem Dei ex eo quod nos Deus adeo dilexit quod moreretur pro iniustis, sed hoc adducit ad probandum quod iustificati salvi erunt ab ira, ut patet consideranti textum. Sive ergo dilectio Dei sumatur active sive passive utrovis modo idem est sensus et de utraque dilectione intelligitur, scilicet que amándonos Dios ha puesto dentro de nuestra alma prenda de la gloria que es su gracia y caridad y Espíritu, etc. Sic Augustinus, Chrysostomus<sup>86</sup> et optimi quique interpretes. Et est optima ratio que no les burlará la esperanza, porque tienen prenda y arras de lo que ella les promete. Praeterea *diffusio* quibusdam plus est quam *infusio* gratiae respiciendo ad viros apostolicos. Quomodo vero donetur iustis Spiritus Sanctus absque ullo peculiari illapsu, quem fingit Magister, id scholasticis relinquo. [f.168]

5. *Ut quid enim Christus etc.* (aliter modo graeco  $\xi\tau\iota\ \gamma\alpha\upsilon$  sed noster legit  $\epsilon\iota\varsigma\ \tau\iota\ \gamma\alpha\upsilon$  cum interrogatione.) Non continuat eandem probationem, meo iudicio, sed addit aliam rationem ad probandum id quod dixerat quod spes non confundit iustos, atque ita subintelligenda videtur coniunctio *praeterea* aut alia similis. Deinde ratio satis perspicua est et magis in constructione; nota tamen varias expositiones illarum vocum *secundum tempus* et *in vita ipsius*. Et quomodo gradatim eosdem appellat *infirmos*, *peccatores* et *inimicos* Dei.

6. *Non solum autem sed et gloriamur in Deo.* Quidam accipiunt quasi diceret non solum gloriamur in tribulationibus sed etiam in Deo. Quod si dicas plus videri gloriari in tribulationibus propter Deum quam gloriari in Deo, id est in Dei amicitia quia summa gloria amicitiae est pati pro amico. Respondeo gloriationem in tribulationibus adductam esse ad confirmationem spei, nam ait iustos gloriari in tribulationibus *propter spem*, spes autem pertinet ad amorem concupiscentiae, sed gloriari in Deo omnino pertinet ad amorem amicitiae eius qui ita adhaeret Deo et per consequens ita fit unus spiritus cum eo ut in gloria et beatitudine Dei gloriatur ac si esset proprium bonum. Altissima certe philosophia perfectae caritatis sed nescio

<sup>86</sup> J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom, hom 9*. PG 60,468.

an sit admodum ad mentem Pauli in praesenti, et salten non videtur illa esse constructio quasi diceret non solum gloriamur in tribulationibus sed etiam in Deo quia sero coniungeret orationem cum eo quod multo antea dixerat. Proximus et simplicius est iustificatos non solum certa ratione confidere quod liberabuntur ab ira quam per peccata prioris vitae meruerant sed etiam gloriari in Dei benevolentia utpote qui per Christum sunt reconciliati, quasi diceret non solum habebimus Deum non iratum iudicem sed etiam amantem patrem quantumvis hactenus fuerimus sceleribus et flagitiis cooperti.

7. *Propterea*. Non satis facile apparet quomodo haec coniunctio *propterea* nectat praecedentibus subsequencia quia hactenus amplificavit felicitatem eorum qui per Christi fidem iustificati sunt, modo vero incipit quasi novum tractatum de infelicitate cui ante iustificationem homines subiacebant et de eius miseriae in primordiis. Vide ergo quam male cohaeret huiusmodi oratio: quia magna est iustorum felicitas, propterea per unum hominem peccatum intravit in mundum et similiter mors. Adamus putat splendendum quasi diceret propterea veniamus ad primordia tabis per Christum sanatae, et statim apte sequitur per unum hominem peccatum intrasse in mundum etc, sicut per unum Christum venit iustitia et per iustitiam vita. Iste nexus meo iudicio durissimus est, et neque suplendo potest aptari textui quia non ait sic per unum hominem peccatum intravit, quo forsam modo supleri posset altera pars, quasi diceret sicut per unum Christum venit iustitia, sed ait sicut per unum hominem etc, unde ne sermo esset inabsolutus, quidam intellexere sicut peccatum intravit in mundum, sic et mortem intrasse post peccatum. Nam aliquando *et* valet idem quod *et ita* ut ibi *fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra*. Sed ista explicatio Erasmi<sup>87</sup> et Ganeii valde frigida est ut bene Sotus probat, praeterquam quod illa dictio *propterea* omnino postulat alium nexum.

8. Dico ergo, in sequenti parte capitis agi de bonis per Christum allatis per comparisonem ad mala quae per primum parentem causata sunt, et quod ait Apostolus est per Christum nos consequi iustitiam et vitam aeternam ad eum modum quo per Adam incidimus in peccatum et mortem, nisi quod plenior et abundantior est Christi salus quam fuerat damnum Adami. Hunc esse Pauli scopum omnes boni interpretaes vident et ipse textus clamat; quo supposito nota illam vocem *propterea* referendam esse potius ad applicationem comparisonis quam ad ipsam comparisonem; et hac ratione aptissimus erit nexus nam cum hactenus amplificaverit Paulus iustificatorum felicitatem, ex ea infert Christum nobis profuisse sicut nocuerat Adam, et multo magis.

<sup>87</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom*, c.5,12. Oper omnia, Lugduni 1705, t.6, col.584.

Contextus ergo est Christus pro nobis mortuus est et per ipsum salvi erimus ab ira et gloriamur in Deo, proptereaque, quapropter, Christus est nobis ad felicitatem qualis fuerat Adamus ad calamitatem, imo longe ille feliciter quam iste calamitosus.

9. Similis locus est 1Cor 15, ubi disserens Apostolus de resurrectione mortuorum subiicit *Christus surrexit a mortuis primitiae dormientium quandoquidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum*, id est quoniam sicut per hominem mors et sicut in Adam omnes moriuntur etc. In praesenti tamen affert difficultatem quod videatur Apostolus relinquere orationem mancam et incoatam nam posuit comparisonem et non subiicit statim applicationem. Respondent aliqui eam esse splendendam totidem verbis quasi diceret sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, [f.168v] quae in omnes homines pertransiit etc, sic per unum hominem Christum iustitia intravit in mundum et per iustitiam vita, atque ita in omnes homines vita pertransiit in quo omnes iustificati sunt; quod etiam haeretici vident non debere intelligi quantum ad efficaciam sed quantum ad sufficientiam, si in Christo renascantur. Sed dices: cur non expressit Paulus eam applicationem comparisonis? Respondeo: imo expressit sed pluribus per hyperbaton ut solet interiectis ex rerum abundantia, et non adeo plane quod attinet ad modum dicendi, nam qui dixerat sicut per unum hominem etc debebat plane subiicere sic per alium etc et solum dixit Adam fuisse formam seu figuram Christi, sed non sicut delictum etc et praeterea repetita comparatione propter longum hyperbaton, igitur sicut per unius delictum sic et per unius iustitiam.

## Lectio 20

### *per unum hominem peccatum etc*

1. Potissimum dubium hic est an Paulus agat de peccato originali vel de actuali. Et Augustinus quidem et Concilium Milevitanum acriter contendunt sermonem esse de originali, sed huic expositioni non solum Pelagiani, ut Pseudohieronymus<sup>88</sup>, sed catholici etiam nonnulli, adducentes pro se non sine occasione Origenem<sup>89</sup>, Theodoretum<sup>90</sup>, Ambrosiastrum<sup>91</sup>, Oecumenium<sup>92</sup> et Photium<sup>93</sup>; imo Erasmus subdubitavit de sententia Chrysostomi et

<sup>88</sup> PSEUDOHIERONYMUS, *Expos in ep ad Rom*, 5,12.,694.

<sup>89</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom*, l.5. PG 14, 1005s.

<sup>90</sup> THEODORETUS, *Interpretatio ep ad Rom*, 5,12. PG 82,99.

<sup>91</sup> AMBROSIASTER, *Comment in ep ad Rom*, 5,12. PL 17,96.

<sup>92</sup> OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom*, 5,12. PG,415.

<sup>93</sup> PHOTIUS, *In ep ad Rom*, c.5, v.19. PG 101.1234.

Theophylacti<sup>94</sup>, sed immerito nam plane ii sunt cum Augustino, quem omnes fere latini sequuntur; imo postea videbimus Origenem et forsam alios id ipsum sentire.

2. Veniam ergo ad contextum verborum Pauli, et prius supponamus aliqua quae sunt omnino certa circa quasdam voces. Primo ergo nota ex omnibus contra Ambrosiatrum et Pseudohieronymum<sup>95</sup> quod nomine *unius hominis* in praesenti non designatur Eva sed Adam, quia Paulus statim exprimit nomen Adae, et ridiculum est id quod ait Ambrosiaster Evam esse et appellari Adam.

3. Nota 21, nomine *mortis* non debere intelligi mortem animae quae in ipso peccato continetur, quia distinctio quam facit Paulus manifeste ostendit illum non solum loqui de culpa sed etiam de poena, et confirmatur quia sicut peccato opponit iustitiam sic morti opponit vitam aeternam seu immortalitatem. Illud *autem* fortasse quibusdam imposuit quod existimarunt illud in quo peccaverunt esse idem quod in peccato quo peccaverunt, quasi diceret mortem in omnes transisse in ipso peccato quo peccaverunt (como el anzuelo en el cebo), nam haec est una explicatio Augustini, ex qua videtur colligi sermonem esse de morte quae in ipso peccato continetur. Sed ex graeco constat illud *in quo* non posse referri ad peccatum quia *αμαρτία* est foemenini generis.

4. Nota 31: quando ait Paulus *peccatum intrasse in mundum et mortem dimanasse in omnes*, ex ipso contextu patere quod mundum et omnes homines opponit Christo a quo vult ut participant gratiam et vitam, quod vero nomine mundi intelligat idem prorsus quod nomine omnium hominum patet quia mortem ait intrasse per peccatum, ergo iidem sunt illi in quos intravit peccatum et mors. Quae regula universalis intelligi debet excepto singulari beatae Virginis privilegio; quamvis et illa etiam subiecta fuerit morti, quia peccavit in Adam et nihilominus divino beneficio factum est ut eam maculam non contraheret. Supposito ergo quod *mundus* et *omnes homines* idem sunt in praesenti, colligitur coactam esse illam annotationem quod peccatum non transierit in omnes homines sed solum in mundum, id est in eos qui mundano sunt spiritu, quamvis hoc tangat Origenes<sup>96</sup>.

Nota male annotasse Pseudohieronymum<sup>97</sup> huiusmodi propositiones universales *omnes peccaverunt, non est qui faciat bonum, etc*, non opus esse ut

<sup>94</sup> THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom*, 5,19. PG 124,407.

<sup>95</sup> PSEUDOHIERONYMUS, *Expos in ep ad Rom*, 5,12. PL 30,693.

<sup>96</sup> ORIGENES, *Coment in ep ad Rom*, l.5. PG 14,1012.

<sup>97</sup> PSEUDOHIERONYMUS, *Expos in ep ad Rom*, 5,12. PL 30,694.

in singulis verificentur sed satis esse ad earum veritatem iustos fuisse paucos, atque adeo non debuisse excipi, como diríamos que en Córdoba todos son cristianos aunque hubiese cual y cual moro porque basta que a una mano, etc. Sed contra est quod ubi dicitur *non est qui faciat bonum* additur etiam *non est usque ad unum*; praeterea eiusmodi testimonia supra [f.169] sunt allata ab Apostolo ad probandum omnibus esse necessarium opus redemptionis, ergo omnino loquitur de iis omnibus qui non confugerunt ad Christum per fidem, nemine prorsus excepto, quia alioqui non probat mihi esse necessariam. Vide c.3, lect.1, n.9. Et similiter in praesenti comparat gratiam Christi damno Adae, ergo intelligit quod sicut Christus quantum est ex se omnibus attulit salutem et vitam, ita Adam omnibus attulit peccatum et mortem, in qua universalitate nulla fingi potest exceptio, imo neque in beata Virgine si loquamur quantum est ex parte Adae.

6. Deinde ut propius accedamus, nota non posse negari quod Paulus agebat in hoc capite de iustificatorum felicitate per Christum allata et quod id prorsus addere volebat nunc, nimirum Christum nobis similiter profuisse sicut Adam nocuerat et multo magis. Hic est scopus sermonis in quo omnes convenimus. Sed quia prodesse et nocere dupliciter contingit scilicet per exemplum et per influxum (explica has voces) ideo illa comparatio quam facit Apostolus visa est diversas explicationes admittere. Nam vel significat primo quod sicut Adam nocuit exemplo ita Christus profuit exemplo, vel secundo, quod sicut Adam nocuit influxu ita Christus profuit influxu, vel 31, quod sicut Adam nocuit exemplo, ita Christus profuit influxu, et omitto alias combinationes, quia non sunt modo ad rem: ex ipsa autem oppositione constat quid intelligatur in praesenti per influxum.

7. Igitur primam explicationem nemo amplectitur, et merito, quia ut alia omitteremus, licet Adam nobis nocuerit exemplo inobedientiae, de quo postea, et Christus maxime profuit suae perfectissimae obedientiae exemplo, non tamen praebuit se nobis exemplar in consequenda iustitia per fidem, de qua praecipue loquitur Apostolus, et omnino intendit Christum non solum iubere et hortari sed etiam sanctificare homines; unde communis Doctorum sententia sequuta est 2<sup>um</sup> comparationis sensum, atque ita collegit ex hoc loco Adamum non solum suo exemplo nos ad malum invitasse sed etiam quantum erat ex se infecisse totam naturam eo quod ab illo derivatum sit peccatum originale.

8. Ab hac communi explicatione discedit Erasmus<sup>98</sup> et iactat se attendere ad contextum eo quod videat huius disputationis exordium aliunde sumptum

<sup>98</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom*, c.5,13. Opera omnia, Lugduni 1705, t.6,584.



et eius summam alio spectare et sermonis proprietatem tenoremque rationis mollius quadrare si sermo sit de peccatis actualibus et non de originali; sed ego contra spero me efficaciter probaturum ex ipso contextu communem explicationem non esse utcumque probabilem, sed omnino necessariam, quia si Erasmus illam deserit incidit in 3<sup>am</sup>, contra quam offerunt se mihi obiectiones aliquot quibus prorsus nescio respondere. Et omitto ea quae multi afferunt, scilicet particulam *per* non convenire ad significandam causam exemplarem, et non cohaerere comparationem si Christus significetur profuisse influxu sicut Adam nocuit exemplo, et si propter malum exemplum est peccatum ingressum in mundum vel in omnes homines non id debuisse tribui peccatum Adae sed peccato Evae vel daemonis qui prius peccaverant. Sed fortasse haec utcumque demorari possunt, minime vero quae sequuntur, meo iudicio.

9. Suppono ergo id quod clare patet, nempe nomine peccati et mortis comprehendi omnia mala quae ad culpam et poenam revocantur et saltem Paulus Adamo tribuit quod per illum omnes peccaverint et omnes moriantur. Sed hoc est falsum si referatur solum ad exemplum, ergo necessario referendum est ad influxum et derivationem peccati originalis. Probatur minor quia ut per aliquem vere dicar ego peccasse non satis est quod ille peccaverit et ego etiam peccem nisi eius exemplo vel suggestionem ego adducar ad peccandum ita ut vere mihi noceat eius exemplum; sed exemplum inobedientiae quod nobis praebuit Adam fere neminem movit ad imitationem, ergo quamvis omnes peccent sicut peccavit Adam non tamen propterea vere dicitur peccatum per illum intrasse in omnes. Probatur minor quia experimur nos a propria concupiscentia abstractos et illectos peccare nihil minus cogitantes quam de imitando primi parentis exemplo, imo multi peccant antequam noverint aliquid de Adamo, imo si nosset et meminissent fortasse eos a peccando deterreret ea cogitatio propter vindictam Dei quae simul ob oculos ponitur. Unde propterea Adam suos filios certiores fecit suae inobedientiae quam facile potuisset eos celare si ex eius notitia periculum immineret, sed consulto voluit ipse et voluit Deus ut nosset mundus primi parentis lapsum; ergo parum aut nihil nobis nocuit exemplo, neque mediate neque immediate. et certe crediderim multo plus alios ea ratione nocuisse. [f.169v]

10. Sed dicet quis bene posse intelligi quomodo peccatum Adae fuerit omnium peccatorum origo sive eo quod omnes nascantur peccato originali infecti, sicut est origo eius peccati quo iustus cadit a iustitia; nam per Adae peccatum privati sumus iustitia originali atque adeo frequentibus tentationibus veluti obiecti et expositi fomitis affectibus; haec autem omnia incommoda perseverant in iis quibus dimissum est peccatum originale, ergo sublato peccato originali verissimum erat quod per Adam ingressum est peccatum in omnes.

Respondeo satis esse si concedatur ex hoc loco evidenter colligi omnes homines privatos esse iustitia originali propter peccatum Adae, quia in hac privatione multi constituunt rationem peccati originalis, quatenus per illam homo est inimicus Dei et quia, quod verius est, si peccatum originale consistit in eo quod est nasci inimicum Dei seu privari illa gratia quae per Adam erat omnibus communicanda, evidens est quod si per illum privamur iustitia originali, per illum etiam quantum est ex parte ipsius privamur gratia et amicitia Dei, nam iustitia originalis erat comes eius amicitiae quam Deus cum Adamo et cum eius genere inierat, atque ita ex eo ipso constat pueros nasci in peccato originali nisi aliquem Deus speciali privilegio liberet ut beatam Virginem.

11. Et confirmatur ex hoc eodem loco, quia alioqui falsum esset quod Paulus ait peccatum intrasse in omnes, tum quia infantes non possunt dici per Adamum incidisse in actualia, tum quia aliqui adulti et maiores natu adiuti a Deo perseverarunt sine peccato mortali actuali et omnino sermo est de peccato per quod homo sit inimicus Dei. Quod si dicas: quantum est ex parte Adami per illum omnes incidisse in actualia mortalia quia omnes per illum destituti sunt gratia et iustitia originali et per accidens esse ad hoc quod illi moriantur ante usum rationis vel quod praeveniantur per Christum gratia Dei; sicut omnes per Christum dicuntur iustificati quia quantum est ex parte ipsius omnibus attulit iustitiam licet multi sua vel aliena culpa non consequantur eam. Dico tamen ex contextu convinci non solum per Adam effectum esse ut omnes peccaturi sint si vivant et non praeveniantur nova aliqua beneficentia Dei sed etiam ante usum rationis sint inimici Dei, quod probatur tum ex dictis n.10, tum dupliciter, 11, quia mors dicitur intrasse in omnes per peccatum vel eo quod peccaveunt, sed ante usum rationis multi moriuntur, ergo ante usum rationis sunt in peccato, nisi per baptismum aut alia ratione misericorditer per Christum reconcilientur Deo. 21, quia nisi per Adam privati essent pueri gratia Dei delictum Adae proprie loquendo nihil nocuisset nobis, quia ei qui est in gratia tentationes et pericula et fomes, omnia convertuntur in bonum ita ut respectu eius non sint mala sed bona, alioqui non ea reliqueret Christus in iustificatis. Sed de hoc infra.

12. Preaterea nescio quomodo audeat Erasmus<sup>99</sup> seriem rationis nobis obiicere, quia dum adducitur comparatio nihil amplius optari potest quoad rationis seriem et tenorem nisi ut comparatio optime congruat, at multo melius congruit si Adam intelligatur esse principium per quod transfusum est peccatum in posteros quam si per illum dicamur peccasse eo quod illum imitamur, nec enim dicimur esse iusti per Christum eo quod illum imitemur, sed

<sup>99</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom, c.5,14*. Opera omnia, t.6, col.587s.

eo quod ille sit fons et origo sanctitatis a quo promanat vera iustitia. Certe haec omnia convincerent Erasmus si se posset expedire a quibusdam difficultatibus quas afferunt verba sequentia. Unde id solum nobis superest ad huius quaestionis elucidationem.

13. Igitur contra dicta obiiciet nobis primo illa verba *in quo omnes peccaverunt*, nam si sermo est de originali peccato illud *in quo* designavit Adam quod videtur durissime cohaerere et non respondere phrasi graecae. Respondeo 11, si propria phrasis graeca est *in quo*, id est *eo quod*, ut explicat Photius, Ganeius et alii, nam  $\iota\phi\zeta\theta$  est idem quod hispanice *porque*, eum sensum admittit nostra lectio. Nam in Sacra Scriptura saepe *in* est idem quod *per*, idque optime cohaeret explicando de peccato originali, nam *mortem pertransisse in omnes eo quod omnes peccaverunt in peccato Adae* idem est quod omnes fuisse morti condemnatos eo quod omnes per Adae peccatum constituti sunt peccatores. Respondeo 21, non dissidere a graeca phrasi ut illud  $\iota\phi\zeta\theta$  sit idem quod *in* Adam, quandoquidem plures graeci eo modo intellexerunt, neque dure cohaeret mortem in omnes pertransisse in illo homine in quo omnes peccaverunt, nam sensus est que en Adán en quien todos pecaron se cobró la muerte derecho contra todos.

14. Obiicit 21 Erasmus<sup>100</sup> illa verba quae statim sequuntur ***usque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur cum lex non esset***, vel non imputatur lege non existente, in his verbis videtur non posse [f.170] negari quin sermo sit de actuali peccato, quia lex nulla ratione prohibet originale, ergo in praecedentibus etiam verbis sermo erat de peccato actuali, alioqui neque cohaeret ratio neque apparet quid sibi velit illud *enim*. Et confirmatur amplius quia constat haec verba valde difficilia fuisse iis qui priora explicarunt de originali, adeo ut Augustinus et multi explicent illa verba *usque ad legem*, id est toto tempore legis, et neque ea ratione emollitur contextus. Respondeo 11, fateor verba esse difficilia sed eorum difficultatem meo iudicio non minuit Erasmus sua explicatione. Respondeo 21, si sermo sit de hominum imputatione, id est reputatione, ut multi intelligunt, bene posse illa verba de originali intelligi, ita ut prosequatur in explicatione eius quod dixerat, nempe *omne peccasse in Adam*, quia id peccatum commune erat omnibus ante legem, quamvis homines non id reputarent esse peccatum quousque per legem, id est per Moysen cognoverunt per culpam Adae nasci omnes invisos Deo et eam maculam circumcisione debere expiari. Itaque quamvis lex non prohibebat peccatum originale illum tamen manifestabat ut eius remedium quaerent.

<sup>100</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom*, c.5,15. Lugduni 1705, Opera omnia, t.6, col.590.

15. Respondeo 31, ex peccatis actualibus non male explicari peccatum originale tanquam principium ab effectibus, quasi diceres omnes in Adam peccasse idque ex hominum vita cognosci, nam si loquamur de statu ante legem mundus erat peccatis coopertus quamvis plerique non putarent ea ratione Deum offendi; si vero de statu legis, lex subintravit ut abundarent peccata, de quo infra. Respondeo 41, et melius, nomine peccati induci a Paulo veluti tyrannum quendam, inimicum Dei, cuius tyranni peccatores agit contra Deum quisquis est peccator, iste tyrannus idem est, sive intret in hominem per eius consensum, sive per culpam Adae, sed ait Paulus in omnes intrasse per Adamum; postquam vero in aliquem intravit omnibus iustitiae praesidiis eum spoliat et per suos satellites tyrannidem exercet, id est per fomitem et concupiscentiam; et denique contendit hominem ad temporalem primum et postea ad aeternam inferni mortem perducere. In hac loquutionis figura delicta quae peccator admittit homo postquam in eo regnat peccatum ostendunt eius tyranni potentiam. Et denique omnia pertinent ad idem corpus peccati. Non ergo loquitur Paulus praecisse de peccato originali, sed de toto corpore peccati, nam per Adam non solum ait *intrasse peccatum in mundum* sed regnasse in mundo. Sicut ergo Christus non solum est auctor primae iustitiae qua iustificatur homo sed omnium etiam graduum gratiae quae postea augentur, sic etiam Paulus Adamum facit fontem et originem non solum originalis sed etiam ad actualium, nam omnia constituunt unum corpus peccati, et pravi actus oriuntur ex malo statu, unde optime explicatur peccatum fuisse in omnes ingressum ex eo quod in omnibus *regnabat*. Bene ergo cohaeret omnes in Adam peccaverunt quia peccatum regnabat in mundo etiam ante legem; imo fortasse illud quod est omnes in Adam peccasse non solum pertinet ad originale sed etiam ad actualia, sicut iustificari in Christo pertinet ad omnem gradum iustitiae, et sic cohaeret optime textus. Et facit D. Thomas, lect.4, et ea est proculdubio mens Origenis<sup>101</sup> et eorum qui videntur favere Erasmo, nam quod explicant de peccato actuali cum dicitur peccatum in omnes intrasse id ipsum miscent cum corruptione totius... naturae humanae; unde qui eos attente legerit in iis ipsis verbis quae citat Erasmus inveniet coniungere peccatum originale cum actualibus quae ab illo originantur, et similiter coniungit D. Thomas. Neque possum mihi persuadere ullum interpraetem adeo fuisse caecum ut id sequatur quod Erasmus significat, nimirum per solam imitationem dici in praesenti omnes homines peccasse per Adam.

<sup>101</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.5. PG 14,1017s.*

## Lectio 30

*peccatum autem non imputabatur cum lex non esset  
vel non imputatur lege non existente*

1. Haec verba sunt iam fere explicata, solum moneo non videri ad rem quod quidam afferunt de aliquibus peccatis in speciali quae ante legem non videbantur esse peccata atque adeo non imputabantur, sed omnibus perpensis omnino videtur esse sensus de toto corpore peccati, ut supra dicebamus, et ait quod ante legem non imputabantur, id est non videbatur a Deo imputari ad mortem vel non reputabantur ab hominibus pro offensa Dei, paucissimi enim ante legem scriptam existimabant Deum curare res humanas et peccatis offendi, vel non videbatur peccatum a Deo omnibus imputari, no parecía que Dios estaba enojado con todos los hombres (ita ut sensus sit de peccato omnium, de quo erat sermo) id autem per legem ipse manifestavit, quia per eam testatur transgressores sibi esse invisos et tales erant omnes homines.

2. Facilior erit nexus et commodior sensus si denotemus cum Augustino et plerisque graecis illud *usque ad legem* [f.170v] intelligi de toto tempore legis usque ad Christum, quasi diceret en todos entró el pecado por Adán etiam usque ad legem peccatum erat in mundo, id est etiam post legem, quasi diceret que la ley no pudo vencer al pecado, solo hizo que el que antes no era tan conocido, lo fuese por la ley, nam lege non existente non imputabatur, vel non adeo imputabatur, de suerte que si la ley hizo algo más que darle a conocer, fue hacer que fuese el hombre inexcusable, y que fuese ya el pecado mayor. Itaque quod ait *usque ad legem peccatum erat in mundo sed non imputabatur* perinde est ac si diceret lex non potuit mederi peccato sed potius illud aggregavit, quia lege non existente peccatum non adeo imputatur. (Photius<sup>102</sup>: que antes de la ley los que pecaban no eran como Adán qui certum Dei mandatum transgressus est, sed... solum legem transgredientes. Pero después sí).

3. *Sed regnavit mors*. Dixerat de peccato, sequitur etiam de morte, quasi diceret neque solum peccatum sed etiam mors regnavit ab Adam usque ad legem inclusive, ut supra, id est usque ad finem legis. Deinde est duplex lectio, ut notat Augustinus, altera, mortem regnasse non solum in Adam sed etiam in eos qui in illo peccaverunt, id est in omnes posteros, quam sequitur Origenes<sup>103</sup> et Ambrosiaster<sup>104</sup>; altera, (quam sequuntur Chrysostomus<sup>105</sup>,

<sup>102</sup> PHOTIUS, *In ep ad Rom c.7, v.8*. PG 101,1235.

<sup>103</sup> ORIGENES, *Comment in ep ad Rom, l.5*. PG 14,1029.

<sup>104</sup> AMBROSIASTER, *Comment in ep ad Rom, 5,14*. PL 17, 98.

<sup>105</sup> J. CHRYSOSTOMUS, *In ep ad Rom, hom 10*. PG 60,475.

Theophylactus<sup>106</sup>, Oecumenius<sup>107</sup> et non solum nostra exemplaria sed etiam antiquissima a tempore Augustini) mortem regnasse etiam in eos qui non peccaverunt propria voluntate, nempe infantes.

4. *In similitudine praevaricationis Adae*. Potest haec particula referri vel ad illud superius *regnavit mors in similitudine etc.*, quasi diceret porque todos nacieron pecadores y parecidos a su padre, vel propius ad hoc *qui non peccaverunt in similitudine*, id est qui non peccarunt actualiter sicut Adam. Unde quod alii exponunt non cohaeret, nempe mortem regnasse in eos qui non peccaverunt in similitudine praevaricationis, que reinó la muerte en los que no pecaron como si pecaran, vel in eos qui non peccaverunt in similitudine praevaricationis, id est in eos qui non adeo graviter peccaverunt sicut Adam. Sed quorsum hoc? Sed dices quid est mortem regnasse. Respondet Augustinus tunc mortem regnasse quando homines moriuntur sed etiam mortui eius carcere includuntur detenti et veluti damnati.

5. Dum ait *Adam esse formam futuri* duplex est sensus. Vel que fue ejemplar de lo que había de ser, scilicet de todo su linaje en pecado y muerte; vel quod magis videtur ad mentem Pauli, que fue figura de Cristo en ser cabeza como él del linaje humano. Et multas proportiones vel analogias meditantur interpraetes inter Christum et Adam. (Ad Colos 2 *quae sunt umbra futurorum*.)

6. *Sed non sicut delictum ita et donum*, id est non tamen quadrat per omnia similitudo, quia grtia Christi plus valet in iustificando quam delictum Adae in perdendo; si enim per unius Adae inobedientiam omnes ab eo propagati reatum mortis incurrerunt abundantior erit gratia quae a Christi gratia derivatur, ut non solum resarciat damnum Adae sed etiam adducat secum exuberantia Dei dona. Quod vero ait gratiam Christi in plures abundasse non sic intelligas quasi plures sint per Christum iustificati quam per Adamum damnati, quia illud *plures* non accipitur comparative, ut patet ex graeco sed loco positivi, atque ita *plures* est in multos.

7. *Et non sicut per unum peccatum vel peccantem ita et donum*, id est non eodem prorsus modo venit donum sicut ingressa est mors per peccatum Adae. Nam iudicium mortis processit ex uno Adae delicto in multorum condemnationem, atque ita, ut Christus tantumdem prodesset quantum Adam nocuerat satis erat si ab illo uno Adae delicto nos iustificaret, amplius autem efficit, quia donum gratiae Christi non solum progressa est ex uno sed etiam

<sup>106</sup> THEOPHYLACTUS, *Expos in ep ad Rom, 5,14*. PG 124,403.

<sup>107</sup> OECUMENIUS, *Comment in ep ad Rom 5,13*. PG 118,419.

ex multis delictis in iustificationem, id est non solum iustificat ab illo delicto sed etiam a multis quae a posteris Adae sunt addita et cumulata. (Perpende que el mal que nos hizo Adán no es más mal que el de un pecado, pero es cosa extraordinaria que la gracia de Cristo nullo vincitur peccato).

8. *Si enim unius delicto* per eum regnavit mors, multo magis per Iesum Christum regnabit vita accipientibus hominibus abundantiam gratiae et donationis et iustitiae ut regnent in vita, vel ut vita in eis regnet. *Igitur sicut per unius delictum* pervenit malum in omnes in condemnationem, sic per [f.171] unius iustitiam derivatur bonum in omnes homines in iustificationem vitae. Quia quamvis peccato originali addiderint multa peccata abundantior tamen est Christi salus quam Adae calamitas. (Vide Fr Luis de León in id nomen *Princeps futuri saeculi*.)

Quod sequitur in textu perspicuum est et optime omnes.

### *Constructio Capitis 5*

1. Iustificati ergo ex fide feliciter perfruamur eiusmodi iustitia et pace erga Deum, Christo semper nitentes per quem nobis accedere licuit ad tantam felicitatem, nempe ad gratiam quam posidentes possumus stare et perseverare in illa, et gloriamur sperantes gloriam filiorum Dei, imo habentes eam gratiam in ipsis etiam tribulationibus gloriamur scientes quod tribulatio alit patientiam, patientia vero generat virtutis probatae experientiam, experientia autem haec fovet spem vitae aeternae. Haec vero spes non pudefacit nec frustrat iustos, iam enim habent in semetipsis pignus et arrabonem futurae felicitatis. Nam charitas Dei diffusa est in eorum cordibus per Spiritum Sanctum qui datus est illis. Quare certo certius conservemus quod speramus. Et confirmatur nam ad quid aliud Christus definito tempore pro nobis mortuus est quando adhuc eramus infirmitate et impietate peccatorum obligati. Si ergo pro nobis mortuus est cum adhuc peccatores essemus, multo igitur magis postquam iustificati sumus in sanguine ipsius per ipsum salvi erimus ab ira Dei quam nostra peccata postulabant, neque solum confidimus salvos nos fore ab ira Dei sed etiam gloriamur in illo tanquam in patre amantissimo, idque per Christum per quem sumus reconciliati ; quapropter sic per Christum iustificamur sicut per Adam constituti sumus omnes peccatores et mortis rei, nam ab Adam derivata est mors in omnes, eo quod omnes oriantur subiecti tyrannidi peccati, neque huic malo potuit mederi lex nam etiam usque ad totum legis tempus peccatum regnabat in mundo, imo vero ante legem non adeo imputabatur hominibus quod eius tyranni peccantes agerent contra Deum, sed regnum mortis in omnes ab Adam usque ad Christum, etiam in pueros qui nondum imitari potuerunt Adam ostendit omnes sive ante legem

sive post illam oriri in peccato, et in eius similitudine referre suum parentem Adamum qui fuit typus eius secundi Adami qui futurus erat. Non tamen quadrat in omnibus ratio figurae quia abundantior est Christi gratia quam calamitas per Adamum invecata et iudicium mortis processit ex uno delicto in condemnationem multorum, gratia autem Christi non solum iustificat ab illo delicto sed etiam a multis aliis quae ab haeredibus Adami sunt addita et cumulata. Si enim mors regnavit per unum, multo magis per Christum regnavit vita accipientibus hominibus abundantiam gratiae et donationis et iustitiae ut regnent in vita vel ut vita in eis regnet. Igitur sicut per unius delictum derivatum est malum in omnes in condemnationem, sic per unius iustitiam derivatur bonum in omnes in iustificationem vivificantem. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ita et per unius obedientiam iusti constituentur. Quod si roges quid effecerit lex si iustia est allata per Christum. Respondeo legem id effecisse ut abundaret delictum, et tunc gratia Christi superabundavit; ut deinceps regnet gratia Christi iustificans in vitam aeternam sicut hactenus regnavit peccatum deducens ad aeternam mortem.

[f.171v]

### *Circa Caput 6<sup>um</sup>*

1. Nota in hoc capite plures nomine peccati intelligere fomitem dum Apostolus contendit non esse servendum peccato. Et quidem perinde est non servire fomiti peccando et non servire peccato, sed multae phrases non permittunt ut peccatum sit fomes, nam initio capituli ait non esse manendum in peccato et non esse vivendum in illo : quod omnino videtur accipi ea ratione qua nostri concionatores dicunt que no hay cosa peor que estarse y vivir en pecado mortal. Haec autem phrasid duo includit: alterum est velle adhuc iacere in illo squalore, et alterum nova semper peccata multiplicare, nam peccatum quod per poenitentiam non deletur, semper aliud et aliud secum trahit, quod optime intelligitur ex illa tyrannide quam supra dicebamus c.5, lect.2, n.15, ubi etiam patet quid sit servire peccato intelligendo nomine peccati non fomitem sed id quod sonat, quamvis qui servit peccato eo ipso serviat fomiti, nam in illa tyrannide fomes est quod aiunt los pies y manos del pecado, y cuando el hombre está en gracia, como el fomes queda sin amo, acuerda de servir a la virtud, aunque es menester castigarle porque el mal amo le tenía hecho a malas mañas. (Eodem fere modo cuando el hombre está en pecado la ley sirve al pecado).

2. *Mortuum esse peccato.* Ter accipitur apud Paulum, nam Christum ait mortuum esse peccato, id est que murió para el pecado, id est para destruirle.



Praeterea interim dum homo iacet in peccato ait mortuum esse peccato **cum essemus mortui etc**, scilicet quia per peccatum amittit homo vitam gratiae, et, tandem eos qui iustificati sunt ait mortuos esse peccato, eo modo quo dicimus que los buenos religiosos han muerto al mundo y al amor propio, et sic loquitur in praesenti. Et sermo est de omnibus iustificatis suo modo, quamvis Cajetanus<sup>108</sup> videatur id accommodare iis solum qui abundantiorum gratiam receperunt; nec enim cuiuscumque est quod aiunt estar muerto al mundo, ut norunt viri spirituales, et facit fortasse series argumentationis apostolicae nam ut probet etiamsi gratia superabundaverit ubi abundavit peccatum, inde tamen non colligi quod liceat peccare, appositissimum est si dicat eam gratiae superabundantiam potius efficere ut homo sit iam omnino mortuus peccato, atque adeo, non solum ut non debeat sed quodammodo ut non possit amplius peccare, sed manifeste Apostolus loquitur de omnibus baptizatis, ait enim *quicumque baptizati sumus*, atque ita de omnibus iustis intelligendum est quod ait mortuos esse peccato, aunque en esto hay grados como los hay en la abundancia de gracia pero todos la reciben abundante. (*Quomodo adhuc vivemus in illo: pondera*).

3. **Baptizati in Christo**, es por medio de Christo vel in Christum ut graeci legunt para ser cristianos, baptizati ut in Christo cooperemur. Omnes ergo ait baptizati sumus in morte Christi, significantius in graeco in mortem Christi, que el bautizarnos es como arrojarnos en el mar de la sangre y muerte de Cristo para morir allí al pecado, **consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem** porque para esta muerte nos zambullen debajo del agua a imitación de la sepultura de Cristo ut **ambulemus deinceps in novitate vitae quomodo Christus in nova vita surrexit a mortuis per gloriam Patris**, id est para gloria del Padre (nam *per* et *propter* confunduntur ut supra vidimus).

4. **Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius simul et resurrectionis erimus**. Constat inter interpretes ex graeca phrasi *complantati* hic poni pro *incisione*; sensus ergo est que si nos engerimos con Cristo en semejanza de muerte es para engerirnos con Él en semejanza de vida, vel que si nos engerimos en su muerte también nos hemos de engerir en su resurrección. [f.172] Elegantissima certe accommodatio ad novam vitam eius qui peccatis renuntiavit per Christum.

5. **Hoc scientes**. Hoc est haciendo cuenta que engiriéndonos en la Pasión de Christo **vetus homo noster simul crucifixus est**, aquel viejo, el que yo era quedó allí crucificado y muerto **ut destruat corpus peccati**; ita ut quamvis ego adhuc videam corpus meum vivum, pero otro cuerpo que estaba dentro

<sup>108</sup> THOMAS a VIO CAJETANUS, *In ep ad Rom, c.6, v.1*. Lugduni 1639, p.28.

de ese con sus manos y pies y cabeza etc, ese es el que ha de quedar destruido, y ese estaba tan apoderado de mí que digo que ese era el yo antiguo. Nota etiam alia phrasi dici veterem hominem sicut modo dicimus cristiano viejo por la origen antigua. Vide c.3, lect.4, n.3, fine.

6. *Qui enim mortuus est iustificatus est a peccato*, id est porque el que ha muerto al pecado ya está libre de él, no le debe nada, (tiene justificadas sus cuentas y recibido el fin y quito). *Si autem mortui sumus cum Christo* y si allegándonos a Cristo hemos muerto al pecado, *credimus quia simul etiam vivemus cum illo*, confiamos en que nos dará gracia para vivir sin tornarnos a apartar de Él o sin tornar a mirar, de la manera que Él vive ya vida inmortal, nam mors illi ultra non dominatur.

7. *Quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem vivit vivit Deo*. Nota hanc esse legitimam lectionem et distinctionem ut multi probant bene, sensus autem est que el morir Cristo fue para el pecado, y el vivir es para Dios, id est que su muerte fue para darla al pecado, y para eso basta una vez, pero su vida como es para gloria de Dios, nunca se ha de acabar, y así nosotros no hemos de querer caer y levantar muchas veces sino morir de una vez al pecado, et deinceps semper vivere ad Dei gloriam, *ita et vos existimate*, habeis de hacer cuenta que ya estais de una vez muertos al pecado, etc. (Alia lectio *qui enim mortuus est etc*. Nosti, et bene Erasmus<sup>109</sup>).

8. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*. Dixerat non esse obediendum peccato sive concupiscentiae, addit modo non esse illi membra corporis exhibenda tanquam arma iniquitatis. Unde communis explicatio in oboedientia intelligit interiorem consensum, in exhibendis membris exteriorem exequutionem. Sed contra est quod nomine obedientiae omnino comprahenditur exterior exequutio, et probatur ex ipso contextu, ait enim *non ergo regnet peccatum in vestro corpore ut obediatis concupiscentiis eius*, ergo sermo est de obedientia per quam peccatum regnat in corpore, ergo de obedientia non solum interiori sed etiam exteriori. Praeterea si aliquis praecipiat duo, alterum ut non obedias Petro, alterum ut neque illi exhibeas arma, ipsa loquutionis forma postulat ut primum non includatur in secundo, ergo cum Paulus ait *non obediatis peccato sed neque illi exhibeatis arma*, opus est ad seriem rationis ut exhibere arma non sit obedire omnino sed aliud minus; sed exequi peccatum est illi omnino obedire, ergo aliud intendit Apostolus.

9. Sensus ergo legitimus meo iudicio facile intelligitur attendendo ad vim singularum phrasium. Nam si peccatum in me regnat et ego illi obedio,

<sup>109</sup> ERASMUS ROTERD., *In ep ad Rom, c.6,11*. Lugduni, 1705, Opera omnia t.6, col.594.

hoc est prorsus me esse illius tyrannidi subiectum, at vero *exhibere illi arma* contingit saepe sine ea subiectione et servitute. Sicut multo gravius est deficere a christiana religione et ad turcas se recipere ad belligerandum contra christianos sub eorum obedientia, quam arma illis vendere et exhibere por particular interés de codicia etc, quamvis hoc etiam sit abominabile scelus. Aliud ergo est palam velle obedire peccato, et aliud por codicia de regalo ministrare illi arma. Et certe qui genio nimis indulget, quamvis alioqui id non sit peccatum mortale, aut fortasse etiam qui periculis incaute se obiicit, ipse praebet inimicis arma contra se, atque ita deterret Paulus christianos a nimia indulgentia, que no se regalen ni se den a pasatiempos etc, y da para esto en pocas palabras dos razones fortísimas. Altera es que miren que eso es como dar armas a los moros y turcos, quod est veluti crimen lesae maiestatis, altera est que es darles [f.172v] no cualesquier armas sino darles por armas su mismo cuerpo del cristiano, sus pies y manos. Perpende etiam hic quomodo possit concionator fulminare contra illas vel illos qui se lascivius ornant nam se ipsos faciunt arma peccato, quod est gravius quodammodo contra Deum quam contra... si praebeas illius hostibus arma. Discurre per quinque sensus et per linguam.

10. *Exhibete membra vestra arma iustitiae Deo*, scilicet con templanza y penitencia ut patet ex dictis. Item honestate et sanctis sermonibus. Et facit illud ad Ephesios, 6, ubi Paulus armat militem christianum et quod ait *armaturam* Deo est in Dei obsequium vel Deo, id est quibus Deus pro nobis militet nam ipsum etiam Deum armat similiter Is, c.59[17]. sicut Paulus militem christianum. Perpende quam sit gloriosum ser armero de Dios.

11. *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim estis sub lege sed sub gratia*, quasi diceret tened ánimo y confianza en esta guerra, que no podrá contra vosotros el pecado, y la gran razón de esta confianza es que no estamos todavía en el tiempo de la ley sino en el de la gracia, en que Dios la da abundantísima. De hoc infra latius c.7. Interim perpende christianorum felicitatem et quam sit ignavus qui hoc tempore vincitur. Deinde contextus est per se facillimus. Nam iterum proposita obiectione an liceat peccare eo quod iam non simus sub lege, resistit vehementer Apostolus, et describit miseram servitutem eius qui obedit peccato, nam eo ipso est mancipium crudelissimi tyranni. Deinde agit gratias Deo qui nos per Christum ab ea captivitate liberavit, et ait quod fuistis servi peccati, obedistis autem, id est, quod cum prius essetis servi peccati obedistis, os rendisteis después ex corde con entendimiento y voluntad in eam formam doctrinae in quam traditi estis a esta nueva ley a que Dios os traspasó por su misericordia.

12. *Liberati autem a peccato servi facti estis iustitiae*, y así no podéis (sic enim loquimur) dejar a vuestro amo, y obedecer a su enemigo. *Humanum dico*, quasi diceret possem ego a vobis iure optimo exigere quod Baruch c.4[28] exigebat, scilicet *sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum*, pero propter infirmitatem carnis vestrae, porque sé que sois hombres y flacos como de carne, postulo quid humanum, id est facilius, hacedero, y es que *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem ita nunc exhibeatis ea servire iustitiae in sanctificationem*. Repetitio haec eiusdem vocis vel duplicatio est quod hispane dicimus de una maldad en otra, de una virtud en otra, et simile est illud ibunt de virtute in virtutem.

13. *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae*. Había dicho que pedía que continuásemos siempre la justicia yendo siempre de bien en mejor, eo modo quo cum eramus peccatores continuábamos el pecado yendo siempre de mal en peor sin interrupción, pues que entonces cum servi eramus peccati liberi eramus a iustitia, no teníamos que ver con ella ni la obedecíamos en nada, eo modo quo mancipium Petri liberum est omnino ab obedientia Francisci.

14. Tandem comparat utramque servitutem ex illarum fructu. De haber obedecido al pecado el fruto es *erubescere*, viéndome justamente condenado a muerte, y *erubescere* etiam post remissionem culpae viendo a donde iba yo a parar. *Nam finis illorum mors est*. Pero del servir a Dios el fruto es bastante a santificar y el paradero la vida eterna. *Stipendia enim peccati mors*, porque el sueldo que da el pecado es la muerte, et significat etiam nomen stipendii id esse omnino debitum. Gratia autem Dei vita aeterna. Pero la medida a que Dios nos encamina es la vida eterna. Hic optime philosophantur interpretes cur Paulus non dixerit id quod sermonis consequenti videbatur postulare scilicet stipendia autem Dei vita aeterna, id quod etiam verissimum est, sed voluit Paulus suo divino ingenio obiter nos ammonere id stipendium esse etiam gratuitum quia gratis nobis tribuit Deus id propter quod digni sumus vita aeterna, item porque paga más de lo debido.

(Sigue comentario c.71)